HERODIANI
INFANTICIDII
VINDICIAE.

HERODIANI INFANTICIDII
VINDICIAE

AUCTORE

F. CASTO INNOCENTE ANSALDO


ORDINIS PRAEDICATORUM.

Accedit ejusdem

DISSERTATIO

DE LOCO JOHANNIS

Aliter atque habet Vulgata a nonnullis Patribus lecto.



BRIXIAE

Excudebat JOANNES-MARIA RIZZARDI

MDCCXLVI.

SUPERIORUM APPROBATIONE.

BEATISSIMO PATRI
BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO

F. CASTUS INNOCENS ANSALDUS
Ordinis Prædicatorum.



ARTYRUM *Vindiciæ Innocentum, quas tuis ſiſto pedibus,* PATER BEATISSIME, *non aliud ſunt, uti noſſe poteris, quam quædam, licet tenuiſſima, ſtudiorum tuorum imitatio. Quum enim Princeps eorum ſis Scriptorum, quibus præ-*

clarus Sanctorum honor cordi semper fuit, vix quidquam præstantius effici a me posse existimavi, quam ut tua, longe quamvis, sequi pergerem vestigia, tuosque, quantum datum esset, labores in vindicanda Sanctorum gloria æmularer. Equidem mirabuntur fortasse aliqui, me scilicet audacem adeo fuisse, ut Tibi Catholicæ Ecclesiæ maximo Pontifici rem tantulam inscribere non erubescerem; Tibi, inquam, Nuncupationes non moris caussa accipere, sed Librorum pretium metiri potius consueto; Tibi rerum harum æquo æstimatori. Verum illi extra metas Orbis esse censendi sunt, qui perspectam nondum habeant singularem humanitatem ac comitatem tuam, suavem erga omnes voluntatem, eximiam indolem omnibusque blandissimam, qua exiguæ virtutis etiam officia respicere non dedignaris. Ut enim nihil habet fortuna tua majus quam ut possis; ita nihil habet natura tua melius, quam ut velis felices reddere quam plurimos. Amabilis hæc profecto tua benignitas ac lenitas, quodque Tibi pergratum non dubito futurum Dissertationis argumen-

mentum, me illius Te Mœcenatem advocare, PATER BEATISSIME, *impulerunt. Accedit illud etiam, hujusmodi Vindicias Brixiæ, ubi beneficio tuo Sacras trado Disciplinas, concinnatas atque editas fuisse; illa, inquam inclyta in Urbe, in qua synchrona tot ac præclara adhuc exstant vetustissimæ nobilissimæque* LAMBERTINORUM GENTIS *monumenta. Felix certe faustaque apud hosce Cives adhuc est vigetque recordatio celeberrimi* LAMBERTINI *ex* LAMBERTINORUM GENTE BONONIENSI, *cui tertiodecimo vix ineunte sæculo summum Urbis contulere Magistratum; quique pene primus accitos inter exteris e Regionibus Prætores (quod munus ab ipsis quoque Principibus non respuebatur) semel, iterum, ac ter Brixianam administravit felicissime Rempublicam.* (a) *Quid non utile ac dulce, quid non grande sub ejus potestate, ejusque jussu perpetratum? Leges conditæ, Civium bona*

(a) Ex Codice MS. cui titulus: *Potheris Comunis Brixie* a pag. 77. usque ad 119. 131. 132. 149. 150. MCCXXIII. Indict. XI. & pag. 228. ubi exorditur, *Liber Inquisitionis de Pothero quod Commune habet in Comitatu &c.* MCCXXVII. Indiction. XV.
Item ex alio membranaceo Codice Monasterii Sanctæ Juliæ Brix. ubi Acta leguntur *Pacis Constantiæ &c.*

bona conservata, (a) *sancita firmataque inter eosdem publica ac communis pax*, (b) *statuti amplissimæ Provinciæ fines*, (c) *cœpta perductaque ad umbilicum celebriora Urbis ædificia*; (d) *quare omnium erga Prætorem amor, & honor, & decus, & summum Patriæ accesserit incrementum. Hujusmodi monumenta, tanti, Tuorum præsertim ob memoriam, Brixiani faciunt, ut in Regestis Urbis, inque Fani penetralibus maxima Religione adserventur; nec mihi extero, & alienæ conditionis homini illa reserare adyta datum facile fuisset, nisi opitulante præstantissimo Nobilissimoque Palatino Comite, ac Equite Aurato, Domino Antonio Scopulo, Viro Litterarum impense docto, Tuique inprimis admiratore obsequen-*

(a) In altero membranaceo Codice, cui titulus: *Statutorum Comunis Brixie*, pag. 65. *Lex Domini Lambertini Prætoris, qua sancitum ne bona Civium exteris alienentur*: MCCXXIII. Indict. XII.

(b) Eodem in Codice pag. 22. reperitur: *Ordinamentum voluntate Consilii factum per Dominum Lambertinum Potestatem Comunis Brixie contra violatores Pacis &c.* MCCXVI. Indict. V.

(c) In Codice *Potheris* pag. 226. *Divisio Vassallorum facta inter Comune Brixie, & Comites Ugones Comitatus &c. Præsentibus Domino Azolino, & Domino Tomasino de Bononia Causidicis Domini Lambertini de Bononia Potestatis Comunis Brixie, & Domino Aspectato, atque Domino Bertoldo de Bononia ejus Militibus &c.* MCCXXVI. Indict. XV.

(d) Prætorium maxime, vulgo *Broletto*. Ex Chronic. Brix. & ex Codice *Potheris*. pag. 48. 50. 53. 60. 67. 66. 71. 76.

quentiſſimo . Vix imaginari potes , PATER BEATISSIME, *quantam Brixiani Cives (ſtrenui Nobilitatis æſtimatores) conceperint , quantamque adbuc experiantur animo lætitiam , Te* LAMBERTINORUM *ex Gente, ipſis adeo accepta ad ſummum Pontificatus apicem evecto; ex Gente, inquam, ipſis acceptiſſima , quum non Principem modo eorum Civitatis Magiſtratum , ſed & Brixianam etiam* LAMBERTINA DOMUS *quam maxime illuſtraverit Eccleſiam . Quotuſquiſque enim eſt , qui Italiæ monumenta ſacræ prætereundo etiam viderit aut legerit , nec* LAMBERTINUM BALDUINUM *admiratus fuerit ex* LAMBERTINORUM BONONIENSIUM *inclyta Familia , ab Clemente VI. a Nemocienſi Sede ad banc ampliſſimam plaudentibus omnibusOrdinibus tranſlatum ; cujus & Cathedrali in Eccleſia nobile ac marmoreum viſitur bodieque monumentum ? Nil mirum igitur , ſi Te nobiliſſimo cretum ſanguine , nobiliſſimo æque ornatum animo conſpicimus , nilve mirum , ſi Genus & Proavos , quæque fortiter ac ſapientiſſime geſſerunt , pietate , prudentia*

ſa-

ſapientiaque tua, conſilio, æquitate, opere examuſſim referas, ac majeſtate. Sed quid Majores tuos Te referre dico? Dicam ſatius, Te, cum eos qui Brixiæ, tum etiam ceteros tui Generis quamplurimos, qui & in Patria, & per Italiam floruerunt univerſam, virtute, felicitate, ac gloria longe ſuperare; iccirco ut Te ratione illorum, ita illos maxime Tui cauſſa, vehementiori proſequi affectu qui ab eiſdem olim beneficia receperunt. Quod ad me adtinet, ſinas obſecro, PATER BEATISSIME, rationem ſaltem loci apud Te valituram me confidere in præſens. ſperareque, Te ſolita ſerena fronte Martyres accepturum hac præſertim in Civitate vindicatos. Vindiciarum autem ſi tenuitas, officiet, quod timeo, æquum ne dici valeant ſtudii erga Te mei monumentum, eaſdem quoddam tamen Lucubrationum, quas me Tibi oblaturum olim non deſpero, eſſe ſaltem ſinas ſpecimen & arrham. Tuis interim obvolutus pedibus Sanctiſſimam Benedictionem tuam demiſſo precor animo ac humillimo imploro.

NOS

NOS F. THOMAS RIPOLL

Sac. Theol. Professor, atque universi Prædicatorum Ordinis humilis Magister Generalis, ac Servus.

HArum ſerie, noſtrique auctoritate Officii, facultatem concedimus R. P. Sacræ Theologiæ Lectori F. Caſto Innocenti Anſaldi Provinciæ noſtræ utriuſque Lombardiæ, typis committendi *Herodiani Infanticidii Vindicias &c.* ab eo ſcriptas, dummodo prius ab A.A. R.R. P.P. Sacræ Theologiæ Magiſtris F. Placido Seraphino Rodengo, & F. Seraphino Maccarinelli Ordinis noſtri cenſorio judicio adprobatæ fuerint, & ſervatis ceteris de jure ſervandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ in noſtro Conventu S. Mariæ ſuper Minervam die ſexta Februarii 1746.

FR. THOMAS RIPOLL
Magiſter Ordinis.

L. ✠ S.

Reg. pag. 157.

Fr. Th. Auguſtinus Ricchinius Magiſter, Collegii Caſanatenſis Theologus, & Pro-Socius.

AP-

APPROBATIONES.

JUſſu Reverendiſſimi P. F. Thomæ Ripoll Magiſtri Generalis Ordinis noſtri attente & ingenti cum jucunditate perlegi Opuſculum, quod primo Vindicias Herodiani Infanticidii profert: dein Diſputationem inſtituit circa quendam Sancti Johannis locum apud nonnullos Patres a Vulgata diverſimode lectum a R. A. P. F. Caſto Innocente Anſaldo Ordinis noſtri in hoc Brixiano S. Dominici Licæo, primo Sacræ Theologiæ Profeſſore elaboratum. Ibi præcipue ad rem ſuam conficiendam, Sanctorum Patrum Doctrinam & mentem clariſſime exponit, & luculenter exornat, aliorumque Doctorum majoris notæ in re Critica auctoritate confirmat; eruditionis & eloquentiæ copia, denique momentorum pondere præfixum ſibi finem Scriptor attingit. Laudatum igitur Opus undequaque Orthodoxum, & Scriptoris fama dignum publicæ proferendum luci exiſtimo.

Fr. Placidus Seraphinus Rodengo Ordinis Prædicatorum Sac. Theol. Magiſter.

EGo infraſcriptus, Reverendiſſimi Patris Magiſtri Generalis Ordinis noſtri juſſionibus obediens, legi Opuſculum ab A. R. P. Lectore Caſto Innocente Anſaldo conſcriptum, cui titulum indidit: *Herodiani Infanticidii Vindiciæ. Accedit Diſſertatio &c*; nihilque in eo offendi aut Catholicæ Eccleſiæ Decretis adverſum, aut alienum a ſacra Doctrina; imo vero omnia, quæ inibi diſſeruntur, viſa mihi fuere ſolida veritate nixa, ad refellendos Evangelicæ Hiſtoriæ Corruptores, & ad ſacræ Litteræ ſenſum exprimendum idoneiſſima. Hanc ob rem Opuſculum exiſtimo publica luce dignum, & eruditi Scriptoris nomini certo auguror reſponſurum.

F. Seraphinus Maria Macearinellus Ordinis Prædic. Sac. Theol. Magiſter, ejuſdemque, ac Philoſophiæ apud R.R. Patres Oratorii Brixiæ Profeſſor.

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Lauro Maria Picinelli Inquisitore del Santo Offizio di Brescia, nel Libro intitolato: *Herodiani Infanticidii Vindiciæ Auctore F. Casto Innocente Ansaldo Ord. Præd. Accedit ejusdem Dissertatio de Loco Johannis &c.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario Nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo licenza a Gian-Maria Rizzardi Stampatore in Brescia, che possa esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 6. Aprile 1746.

[*Z. Alvise Mocenigo 2.o Rif.*
[*Zuane Querini Proc. Rif.*
[

Regist. in Lib. a fol. 24. al n. 186.

Michiel Angelo Marino Segret.

INDEX CAPITUM.

CA-



HE-

HERODIANI INFANTICIDII *VINDICIARUM*

CAPUT PRIMUM.

Qui de Infanticidio Bethlehemitico, & qua de caussa, dubitarunt. Scriptoris methodus in iis oppugnandis.

TOT inter quæ docuit Isaacus Vossius, ignoro an aliquid verius reperiri possit iis, quæ in Libro de Sibyllinis Oraculis conscripsit: *Profecto*, inquit ille, *nullos Religio Christiana infensiores habet hostes, quam ipsos Christianos; cum vix ullum apud Antiquos de Christo aut Vaticinium, aut Testimonium invenias, quod non complures etiam doctissimi Viri labefactare, aut etiam penitus evertere fuerint conati*. Cap. IX. Et certe, quum universam ingenii aciem in illud intendere Christiani omnes debuissent, ut expectatum olim Vaticiniorum complementum in Christo intelligerent, contemplarentur, ac pro viribus explicarent, in eo potius toti videntur aliqui fuisse, ut arma, sibi adversus Ethnicos, Hebræosque a Deo concessa, contra se tamen verterent; unde paucorum bona mens in eo hodie sudare debeat magis, ut Prophetias in Christo adimpletas Christianis probet, ostendatque, quam ceteris, qui

sane, si Testamenti Novi Scripta, horum more, divina semel faterentur, bona fide, facta esse quæ Prophetæ divinitus prædixerant, concederent.

Inter Vaticinia in adventu Christi adimpleta illud enumerandum existimavere semper pii omnes, quod Bethlehemitico adimpletum in Infanticidio ostendit Evangelista Matthæus his
Cap. II. verbis: *Tunc Herodes videns quod illusus esset a Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes Pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus, & ejulatus multus; Rachel plorans filios suos, & renuit consolari quia non sunt.* Hujus vero illustris adeo Vaticinii complementum eripere nobis videtur Joseph Scaliger, qui actus Josephi, hac super re, Judæorum Historici silentio, Herodianum negavit his verbis Infanticidium:
Scaligeran. II. p. 212. Edit. Colon 1595. *Les Chretiens ont beaucoup adjoustè au Nouveau Testament. Joseph ne fait aucun mention de τεκνοκτονία d'Herode qui étoit un insigne cruautè. Il y a plus de 50. additions ou mutations au Nouveau Testament, & aux Evangiles; c'est chose etrange je n'ose la dire; si c'étoit un Auteur profane j'en parlerois autrement.* Hæc, inquam, ille, in Scaligeranis tamen. Quamobrem nollem

lem certe Virum tantum, haud fortasse reum audax præcepsque nimium condemnare; quum ignoret nemo, quantum hodie deceptos se cognoscant, quicumque ὑπομνημονεύματα hujusmodi præ manibus habent; multa siquidem in illis inserta inspicimus, quæ ab Auctorum, quibus tribuuntur, mente maxime abhorrent; uti in Saint-Evremonianis accidit, in quibus, si recenti Editori Londinensi Operum illius Scriptoris fides est, *il n'y a rien de Monsieur de Saint-Evremond*. Nec Editoris tantum mentem sequimur. Ipse Auctor ad eundem ita scripserat: *Vous pouvès surement repondre a vos Amis de Hollande, que les Memoires du Comte de D*** & le Saint-Evremoniana ne m'appartiennent point: il n'y a pas une Ligne dans ce dernier qui me convienne.* Heinc eorum alter qui loquentes inducuntur a Bouhoursio, ita de Sancti Evremondi Scriptis: *Ce que nous avons de lui marque un beau Genie, qui creuse, & qui egale toutes les matieres qu'il traite. Je dis ce que nous avons de lui: car tout ce qui passe pour être de lui, n'en est pas; & parmi les pieces qui ont cours sous son nom, il y en a de fausses qu'il desavoüe, & qu'il a raison de desavoüer.* Tale igitur esse posset effatum illud Scaligero tributum; quod & suspicari me cogit maximum ejusdem Cl. Scriptoris Opus, in quo Bethlehemiticum videtur aperte fateri Infanticidium; in

Tom. V. Billet a M. des Maizeaux.

La maniere de bien penser &c. Dial. IV.

in Libris nempe de Emendatione Temporum. Denique opposita aliquando inveniuntur in Scaligeranis secundis, atque in primis Scaligeranis, nempe diversis ab Scriptoribus Vassano atque Verturiano collecta, aut verius excogitata. Ceterum, ab hoc crimine Scaligerum nec prorsus liberabo; tum quod impossibile non sit, malis quibusdam horis Ipsum aliqua pronunciasse adversus manifestam totius vitæ suæ fidem ac sententiam; quod prudentioribus modestioribusque Viris aliquando contigit; tum etiam quod in Hypomnimoneumatibus hujusmodi non tanta erat olim, uti hodie, fingendi quidquid vellent Editoribus licentia. Emunctioris naris Critici Scaligerana sincera esse autumarunt, exque eisdem, Puerorum stragem inficiatum Scaligerum eruit etiam Ittingius, cujus hæc sunt in elaboratissimis Prolegomenis ad novam Josephi Editionem verba: *Et parum quidem absuit, quin nonnulli ex Josepho Evangelistas corrigere auderent. Legitur enim in Scaligeranis, quæ Jacobus & Petrus Fratres Puteani ex Scaligeri ore excerpserunt, Veteres Christianos multa in Novo Testamento addidisse, & forte etiam aliquid mutasse.... Quantum ad Historiam Infanticidii Bethlehemitici attinet a Josepho omissam, Scaliger in prædictis Excerptis Christianos potius alicujus additionis ad Historiam Evangelicam, quam Josephum alicujus omis-*

omiſſionis arguere videtur. Accedit præfervida illa hominis haud prudentiſſimi indoles, quem non ſemper feliciter conjectaſſe ait etiam Clericus, præcipitis iccirco Critici nota merito inuſtum. Quin & idem Clericus in Bibliotheca Univerſali Tom. III. p. 130. ſe oſtendiſſe ait, *que Joſeph Scaliger a eu tort de parler comme il a fait, des fautes de Copiſte, qui ſont dans le nouveau Teſtament*. Art. Critic. P. III. Sect. I. Cap. 11.

Sed non ego tempus teram in definitione mentis Scaligeranæ, inquirendo ſcilicet an Bethlehemiticum negaverit reapſe, an non negaverit Infanticidium; nec imitabor ſcribendi rationem Johannis Fabri Bambergenſis, qui in Diſputatione de Nardo & Epithymo adverſus ipſum hunc Scaligerum, totum pœne Librum in Antilogio conſumſit, ac ſi calamum contra Virum illum ſtringere piaculum fuiſſet. Dubitaverit, vel non dubitaverit Scaliger, haud multum intereſt, dum de Cæde Puerorum dubitaſſe eum videamus certoque dignoſcamus, qui Scaligerana edidit ſecunda. Quin etiam olim rem illam inficiatos fuiſſe Manichæos, poſtmodum etiam Anabaptiſtas, Scriptores illi omnes qui vel Eccleſiaſtica de Hiſtoria, vel de erroribus Hæreticorum, vel de Libris egerunt Novi Teſtamenti, mille in Operibus tradidere. Manichæi porro, ac Anabaptiſtæ duplici momento movebantur; proprio al-

altero, altero cum Scaligero communi; caussabantur nempe aliorum silentium Evangelistarum; qua equidem de re satis ac diligenter egere Sancti Patres, ac Ecclesiasticarum alii rerum Tractatores; iccirco id repetere supervacaneum: denique & Flavii silentium caussabantur, de quo sparsim fateor plura apud diversos invenias Scriptores, quæ colligere & explanare tamen operæ pretium existimavi, imo nonnulla addere sanctissimorum beatam mortem Puerorum uberius vindicantia.

Porro mirabantur maxime Exegeticorum aliqui, Hetherodoxos illos de Herodiano dubitasse Infanticidio, cujus tamen narratio sibi talem videbatur præseferre apud Evangelistam veritatis characterem, ut illa uterentur etiam ad Evangelicæ sinceritatem Historiæ vehementer confirmandam. Verum, quod hocce argumentum proponentes, aut minime jam dubitarent de sinceritate narrationis, aut Sacrum Scripturæ Textum, incorruptum & numquam interpolatum fuisse docere pergerent: illi ex opposito, qui de Infanticidio dubitarent, indubie etiam crederent, imò propugnarent, primævos Christianos multa non solum, sed hanc ipsam stragis narrationem Novo addidisse Testamento; heinc factum, ut non facile convinci possint: & quum totus hodie Mundus Criticus esse velit, accidit frequenter ut ti-
neis

neis relicta immensa illa Voluminum grandium suppellectili, quæ de Sacri Textus integritate oppido pertractant, Scaligerana, & cetera hujusmodi in pretio magis habeantur, studiumque ac adsensum hominum extorqueant, quod ad genium sæculi concinnata videantur. *On nous apporte une infinitè de Regles*, ajebat nescio quis Gallus, *qui sont faites il y a trois mille ans, pour regler tout ce qui se fait aujoudhui; & on ne considere point, que ce ne sont pas les memes sujets qu'il faut traiter, ni le meme genie qu'il faut conduire*. Eorum igitur dubitationes in præsentia oppugnantem, coactum negabit nemo pæne illud idem vel per hypothesim sentire; nempe ita disputare, ac si nonnulla olim aliquibus Evangeliorum Codicibus reapse adsuta fuissent; qua etiam in hypothesi contendere debemus, numquam adhuc additum Evangelio fuisse Infanticidium. Ut suomet Adversarios feriam gladio, hoc idem & ego hypothetice præconceptum habebo, ne Criticis hodiernis, neve Scaligeræis gentibus ludibrium debeam, & cum in Veterum tum in Recentiorum Operibus Scriptorum hospes esse plane videar, nilve legisse aliud, præter Theologica systemata, vetustisque de Codicibus, ex metaphysicis tantum rationibus, exque præconceptis temere opinionibus, judicium ferre velle credar; unde non adversus ea quæ in

in Scaligeranis ſcripta ſunt, ſed aliquam adverſus umbram digladiari audiam. Conamur enim hodie, noſtra ſi ſcripta evolvi volumus, non ex veterum principiis Scriptorum, non ex præconceptis Antiquorum ſyſtematibus, ſed recentiorum ex effatis Criticorum (quæ ſæculi levitas eſt) differere; deque Libro, præſtantiſſimo licet atque docto, placitis hodie tamen vigeſcentibus haud referto, ajunt pœne omnes quod Itinerator recens de Lugduno Batavorum: *Quoique cette Ville ſoit tres-belle, je crois pourtant que ce doit étre une de plus triſtes demeures de toute la Hollande: il regne par-tout un certain air de maladie, qui inſpire de la melancolie. Ce n'eſt pas que les Bourgeois ne ſojent auſſi ſains qu'ailleurs: mais l'habitude qu'ils ont d'étre toujours en robe de chambre, & de marcher ainſi dans les rües, fait, qu'on les prend plutot pour des Convaleſcens, que pour des Perſonnes qui ſe portent bien.* Sed & cauſſæ qua de agitur accedit maxima utilitas; uti enim recte ajebat Vir Doctus, neceſſe aliquando eſt ad hypotheſim dilabi. Multo enim acrius Adverſarium premes atque urgebis, ſi illius hypotheſi, quam ſi tuis abſolutis poſitionibus, tuis adhæſeris principiis. Quî enim adverſantis tibi ſententiæ abſurda patefacias, niſi te ejuſdem hypotheſi accommodes? Quod quidem tutiſſime agis; non enim affirmare putatur, qui quicquam ſub conditione aſſeverat.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Ex Codicum Matthæi omnium consensione, ex consensione eorum qui Evangeliis adsuta adnotarunt, ex charactere dictionis & Personæ Evangelistæ, ex Prophetia addita, & ejusdem Hebraismis evincitur, minime eam extorqueri posse Matthæi ab Evangelio Periocham.

JAM vero præconceptum in præsens ex hypothesi habeamus, nonnulla Evangeliorum Exemplaria fuisse olim ab Christianis primorum temporum corrupta, & præter ea, quæ

aut incuria fudit,

Aut humana parum cavit natura,

narrationes aliquas veteribus Codicibus piam fortasse per fraudem adsutas fuisse; nil adhuc tamen ex generali hac aut suspicione, aut disserendi ratione, adversus Infantium stragem inferri jure posset; etiamsi enim aliquo interpolata in loco imaginari velis Evangeliorum Exemplaria, adhuc tamen ubi Herodianum exhibent Infanticidium interpolata non sunt. Hoc autem ostensum statim erit, vix animadversis scilicet Criticorum omnium hacce in re principiis atque aphorismis. Nil videlicet omnino corrigendum, nil expungendum aut infarciendum esse, nil esse ab edito Scriptorum Textu auferendum, nullum locum habendum

esse pro corrupto, nisi id nos facere compellat evidens necessitas, styli maxima diversitas, ac præcipue Codicum dissensus; nisi quod auferre pergimus, aliquid contineat cui natura rei, Scriptoris quem in examen revocamus sensus ac perpetua sententia, Historici demum ceteri evidenter contradicant. Maxima hoc religione observari ab veris reapse solet eruditis Criticis, non in rebus dicam gravioribus, aut relate ad Scriptores modo, atque Codices, qui ad Dogmata, adque res serias pertinent, sed in minoris quoque notæ locis, inque minimi momenti testimoniis. *Fixum & ratum nobis sit oportet*, ait hac in re Princeps Scriptor, nempe Clericus, *nullam admittere emendationem, quasi certam, quæ non sit prorsus necessaria, hoc est, quam non res, non orationis series, non stylus Scriptoris, qui emendatur, poscat; ita ut tria illa simul mutationem efflagitent, aut certe duo, vel unum. Quæ si diligenter observentur, non facile nisi imperiti, aut Legum Spretores, qui imperitis deteriores sunt, manum medicam sanis locis admovebunt. Sarta tecta antiquiorum Lectionum auctoritas, nemine eam temere violante, sic manebit.* Jam vero de Infantium Bethlehemiticorum strage ex Josephi silentio dubitantes, ex notabiliore alio, nempe ex Criticorum, Exegeticorumque omnium silentio oppugnamus. Non est porro silentium hocce, negativum, ut ajunt, mere argumentum; nixum

Art. Critic. P. III. Sect. I. Cap. 17.

nixum enim consensui est Codicum editorum omnium, atque etiam MSS., qui legi ac videri potuerunt; in illis enim Herodianum procul dubio exhibetur Infanticidium. Possibile ne vero, post Artem Criticam inventam, post tot eruderatos MSS. Codices, post tantam doctissimorum hominum diligentiam; possibile, inquam, relictam fuisse Matthæi in Evangelio Periocham, quam ad Textum haud pertinere Lectio aliqua, aliquod Exemplar evicisset? Recentes nobilesque adeo Bibliorum Editiones, quid aliud sunt, nisi ex utilitatibus præcipua, quam saniori hausit e Critice Ecclesia? *Si les divines Ecritures*, ait Honoratus a Sancta Maria, *sont le plus riche, & le plus precieux monument de l'Eglise, on peut assurer que la Critique n'a jamais employè ses lumieres plus utilement, que lorsqu'elle les a appliquées a nous donner, avec toute l'exactitude possible tant de belles Editions des Textes Originaux de la parole de Dieu, aussi bien que de toutes les anciennes Versions. Les avantages que nous avons tirés de la Critique par rapport a l'Ecriture, se font sur tout sentir dans ce nombre prodigieux d'Ourages sur toute l'Ecriture en general, ou sur quelques Liures en particulier ..... on pourra juger que la Critique n'a jamais produit, & qu'on ne pouvoit méme en esperer de fruits plus abondans, que ceux qu'elle nous a donnez sur ce sujet*. Itaque quum post diligenter adeo exactasque

Reflex. sur les Regl. & sur l'Usag. de la Critiq. Tom. I. Diss. I.

que ac retractatas Bibliorum Sacrorum Editiones, tot post Commentarios, animadversiones, adnotationesque, post Exemplarium ἀντιβολὴν institutam, conditasque Variarum Syllogas, nemo, si excipias eum qui Scaligerana edidit, de Periocha cædem exhibente Bethlehemiticam dubitaverit, quum ejus de interpolatione siluerint omnes, quum in editis omnibus Codicibus eadem adpareat, evidentissima consequutio est, aut ego fallor, haud esse Periocham ejusmodi ab Textu expungendam, haud esse locum habendum pro corrupto; falli Herodiano de Infanticidio adversus fidem, adversus consensionem Codicum omnium inani suspicione dubitantes.

Verum inquient fortasse, qui oppositam tuerentur Opinionem, haud pauca reliqua adhuc esse Evangeliorum in editis Codicibus, quæ adsuta olim fuisse nonnulli suspicati sunt. Esto; fateor hoc quidem. Verum hac ipsa ex re aliud effluit in rem nostram invictissimum argumentum. De illis enim monuerunt Critici, nusquam vero de strage Puerorum. Celeberrimus Simonius in Historia Critica Novi Testamenti fidem nobis faciat, qui quum & in eadem versaretur de additionibus ad Textum cum Scaligero sententia, postquam etiam infinitos MSS. Codices, eosque rarissimos, in examen revocasset; postquam editos legisset omnes, cum Græcos, tum

tum etiam Latinos, postquam infinitas vidisset Exemplarium Lectiones, perpensis Hetherodoxorum veterum ac recentiorum objectis; Orientalibus & Occidentalibus Versionibus in medium prolatis, veteri Italica, & hodierna Vulgata cum infinitis ceteris collatis; Syriaca, Coptica, Æthiopica, Arabica, Gothica, & Moscorum Versionibus, ut editas a renatis Litteris omittam, serio perpensis; postquam quid Græci ac Latini, quid Catholici ac Heterodoxi, cum antiquorum tum recentiorum temporum Exegetici ad Novum Testamentum, ad Matthæum docuere didicisset; postquam de tot monuisset additionibus atque mutationibus, hac tamen in re, qua de agimus, consensionem Codicum, Versionum consensionem, consensionem denique celebrat Exegeticorum. Anabaptistas animadvertit ille, post Manichæos, de strage dubitasse Bethlehemitica, iisdem quibus Scaligerani de caussis; perperam tamen, ob oppositum illa in re totius Vetustatis testimonium. *Ils se sont inscrits en faux contre ce que Saint Matthieu a rapportè des Mages qui vinrent adorer Jesus dans le berceau, & contre l'histoire des Enfans qu'Herode fit mettre a mort. Ils opposent a ces deux histoires le silence des autres Evangelistes, & de Joseph Historien de ce temps-la. Ceux qui font ces sortes d'Objections devroient ètre fondès sur des preuves positives, par exemple, sur la diversitè des Exem-*

Hist. Crit. du N. Test. P. I. Cap. 2.

Exemplaires , & en produire quelques uns ou ces histoires ne se trouvassent point. Alors ils pourroient objecter avec quelque vraisemblance qu'elles aurojent été ajoutées après coup. Mais elles se trouvent au contraires dans tout ce que nous avons de plus ancien , & le plus grands Ennemis de la Religion Chretienne les ont citées dès les premiers Siecles. Celse les a lües dans l'Evangile de la maniere que nous les lisons presentement. Sed satis de Simonio , unus homo nobis melius conficiet rem , Johannes nempe Clericus. Venit ille siquidem Scaligeranis expectatus Gentibus Dictator , qui sua in elaboratissima Arte Critica de mendis Scriptorum agens , quæ Impostoribus sunt & Falsariorum arti tribuenda , exempla collegit bene multa verborum atque rerum novo , ut ait , Testamento adjectarum ; erat illi etiam siquidem generalis eadem de Interpolatione Evangeliorum cum Scaligero sententia . Totus cum suo Grotio fuit & Hammondo acutus ille Criticus , ut fraudes eorum palam faceret, qui Evangeliorum, Epistolarumque Canonicarum textui, aliquid aut piam per fraudem, aut consilio malo addidere, idque maxime III. Parte Sect. I. Cap. 15. Infantium tamen Historiam stragis, inter adsuta ne suspicatur quidem enumerandam. Arguit id profecto apertissime nullo in MS. Codice Infanticidium desiderari, nullam relate ad periocham illam esse Codicum dis-

dissensum; universale eorum esse qui veteres manibus versarunt Codices silentium. Nullum reapse dissentiens Exemplar adfert Scaliger, nec eo ducitur motivo, quod erat tamen animadvertendum maxime. Quam bene Scaligeranæ argumentationi aptare in præsentiarum possumus, quæ adversus Erasmum, simili argumentatum modo, protulit Simonius! *Ce qu'on luy a objectè*, ait adversus illum Criticum hic Auctor, *de plus fort, est d'avoir apuyè l'Arianisme & le Pelagianisme. Bien qu'on le puisse justifier du dernier, il seroit tres-difficile de le mettre entierement a couvert du premier. Les Antitrinitaires de ces derniers tems, qui n'ont pas etè si bons Grammairiens que luy ont adoptè plusieurs de ses remarques, qui apuyent manifestement leurs prejugez. On lit au Chapitre 9. de l'Epitre aux Romains v.5. dans tous les Exemplaires Grecs, & dans toutes les Versions du Monde, comme il y a dans notre Vulgate*, Ex quibus est Christus secundum Carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. *Erasme qui semble n'avoir pu souffrir que S. Paul parlat en des termes si clairs de la Divinitè de I.C. dit, d'abord, que si ces mots* qui est super omnia Deus, *n'ont point etè ajoutez, comme quelques autres, on ne peut nier que S. Paul n'ait etabli ouvertement en cet endroit la Divinitè de Jesus Christ: & il avoüe qu'il n'y a aucune varietè la dessus dans tous les Exemplaires qu'il a lus,*

Hist. Crit. du N. Test. Par. III. Cap 11.

a lus, Nisi hæc particula adjecta est, sicuti quasdam adjectas offendimus, hoc certe loco Paulus palam Christum pronunciavit Deum, & consentiunt quæ quidem viderim Græcorum Exemplaria. *Quelle raison at-il eüe de soupçonner qu'on a ait ajouté quelque chose a ce passage, puisqu'il reconnoit que tous les Exemplaires conviennent entr'eux? Il y a, dit-il, des additions en d'autres endroits: cela est vray; mais sur ce pied la on ne sera assuré d'aucun mot du Nouveau Testament. Il ajoute qu'il y a de semblables additions en d'autres lieux, & il donne pour exemple celle qui est a la fin de l'Oraison Dominicale dans les Exemplaires Grecs. Il devoit donc produire quelque Exemplaire soit Grec, soit Latin, ou en quelque autre Langue, ou les mots dont il s'agit ne fussent point, comme l'on en produit un assez grand nombre, ou ce qui est dans le Grec ordinaire ne se trouve point*. Conjicit ergo tantum Scaliger, non ostendit ex Variantibus corruptum fuisse Matthæi Codicem. Næ Petro Victorio assentiri fas erit, olim adserenti, aptum corrumpendis quidem Veterum textibus fuisse Scaligerum, nequaquam restituendis. Subscripsit jam olim judicio Victorii Gerardus Johannes Vossius. Interim liceat mihi hisce præconceptis ita argumentari. Locorum omnium quæ in Bibliis corrupta existimantur, verum illud est, nonnulla aliquibus in Codicibus inveniri, quæ in aliis non

Biblioth. Universel. T. XVII. p. 117.

non ſunt; nonnulla uno modo aliquibus legi in Codicibus, in aliis autem diſſimili ac diverſo. Ita videas apud Valtonum, ita infinitis apud Cl. Simonium in locis, ita in Leuſdenianis Philologi Hebræo-Græci Quæſtionibus, ita in Paulli Colomeſii Obſervationibus ſacris, ita in Animadverſionibus Clerici & Exegeticorum univerſis; hocque poſtremus ille Scriptor protulit prudentiſſimum Effatum: *Interpolati Codicis indicium eſt, ſi ſit in veteribus Codicibus ſine additamento, quod in recentioribus invenietur*. Quî enim corruptus dici poteſt Textus, ſi nullo in Codice diſſentiat, idem ſi legatur in omnibus Codicibus, ſi Codices omnes eandem ſententiam, eandem narrationem eodem modo repræſentent? Verum Infanticidii Hiſtoria earum non eſt, quæ in aliquibus adpareat Codicibus, in aliquibus non item; itaque Sacri Codices interpolati nullo dici modo poſſunt relate ad ſtragem Bethlehemiticam. Quis quæri vero poſſit in præſentia, me adverſus homines ex argumento negante differentes, negativo æque, ut ajunt, uti argumento? Profecto qui novit quam diligens fuerit maximus Simonius, quam fuerit Clericus parum erga ſacrorum integritatem Textuum bene animatus, judicium ſtatim ferre poterit, fortius ne ſit argumentum e ſilentio Flavii deſumtum ad ſtragem Infantium adſcribendam fabulis, an alterum ex Clerici ſilentio (erat enim

Art. Critic. P. III. Sect. II. Cap. 2.

C ille

ille ſi quis alius Evangeliorum corruptioni, cujus adeo ſollicitus erat Clericus, evincendæ locus) exque oppoſita Simonii ſententia derivatum, ad Periocham, quæ Infanticidium continet, ab adjectorum cenſu removendam.

Sed pergamus ex Effatis ſemper Criticorum, Sanctiſſimorum vindicias Innocentum concinnare; ad ſtylum Periochæ primum nempe deſcendamus, inde ad genus Orationis. Et de ſtylo quidem dictionis ſi loquamur (certiſſimum hiſce in rebus, aliquorum ſententia, Criterium) erui ex eodem facile erit, minime eam extorqueri poſſe Matthæi ab Evangelio periocham. Porro in ſtylo dignoſcendo duo obſervanda quis ignorat; frequentem nimirum vocum atque phraſium, modorumque loquendi uſum, & ſimilem vocum poſitionem ſeu ſtructuram? Jam vero ſi verba & phraſes, ejuſque qua de agimus Periochæ λέξεως χρῶτα ſpectes, nempe non illam modo extimam, quæ in ea continetur, ſermonis ſuperficiem, ſed ejuſdem potius Orationis characterem, dictionis contextum, texturæ continuitatem, eloquutionis formam, figuras loquendi, tractationis methodum, hæcque omnia cum verbis phraſibuſque ceterarum Evangelii Matthæi partium examuſſim conferas, non lac lacti, ut proverbio dici ſolet, nec ovum ovo ſimilius, quam ea inter ſe comperies; utque purpura ad purpuram collata, ſic & illa ſe mu-

mutuo illustrare, atque ita genuina ostendere concipies, ut filiam numquam melius forma sua referre matrem, aut germanos fratres similiores dixeris. Initium est Periochæ: Τότε Ἡρώδης ἰδὼν ὅτι ἐνεπαίχθη ὑπὸ τῶν Μάγων. *Tunc videns Herodes quod illusus esset a Magis*. Certus esse quisque potest per se, pene omnes totius Evangelii periochas ita incipere Matthæum, & phrasi illa, sive illo dicendi modo, quæ sequuntur, perpetuo cum superioribus connectere. Dixerat jam eodem Capite: Τότε Ἡρώδης λάθρα καλέσας τοὺς Μάγους. Ita & in iis quæ sequuntur: IX. Τότε προσέρχονται αὐτῷ οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου. XII. Τότε προσηνέχθη αὐτῷ δαιμονιζόμενος. XV. Τότε προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. Et ut ex innumeris exempla modi dicendi aliqua, quo narrationes solet nectere Matthæus, latino sermone efferam: XVIII. *Tunc accedens ad eum Petrus dixit;* XX. *Tunc accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi*. XXII. *Tunc abeuntes Pharisæi consilium fecerunt*. XXV. *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum*. XXVI. *Tunc venit cum illis Jesus in villam, quæ dicitur Gethsemani*. Hæcque paucissima sunt relate ad ea, quæ libenter prætermittimus, quod ita collecta lucernam quasi oleant, offendantque puras Legentium aures, aliquo tamen modo adversus Vitilitigatores necessaria.

Sequitur, ἐθυμώθη λίαν, *iratus est valde*, frequentissimus apud Matthæum superlativa ex-

 pri-

primendi modus. Sic enim IV. εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν. VIII. δύο δαιμονιζόμενοι λίαν. XXVII. ὥστε θαυμάζειν τὸν ἡγεμόνα λίαν. Phrasis illa vero, κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν Μάγων, *secundum tempus quod exquisierat a Magis*, nonne eadem prorsus est ac illa qua usus paullo ante fuerat: Τότε Ἡρώδης λάθρα καλέσας τοὺς Μάγους ἠκρίβωσε παρ' αὐτῶν τὸν χρόνον. *Tunc Herodes clam vocatis Magis exquisivit ab eis tempus?* Sequitur: καὶ ἀποστείλας ἀνεῖλε. *Et mittens occidit*. Egregie Maldonatus hoc videt in loco, usitatum novi Scriptoribus Testamenti hebraismum, quo nempe, ea ratione, qua Hebræi verbo שלח, ita illi alio ἀποστέλλειν absolute, non expressa sed intellecta utuntur, quæ mittitur persona, quod selectis etiam confirmat testimoniis. Accedit, ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις, quibus verbis Territorium Oppidi, & universitatem agrorum alicujus Urbis describit perpetuo Matthæus. IV. ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλείμ. VIII. παρεκάλεσαν ὅπως μεταβῇ ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν. XIX. εἰς τὰ ὅρια Ἰουδαίας. XV. καὶ ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά. Habemus in subjecta Infanticidio Prophetia: φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ, quam legimus haud semel apud Matthæum vocem: φωνὴ βοῶντος, III. φωνὴ ἐκ τῶν Οὐρανῶν. XVII. φωνὴ ἐκ τῆς νεφέλης. Sequitur inde: Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου λέγοντος, modus Evangelistæ perpetuus enunciandi Prophetias; antea nempe scripserat: ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου διὰ τοῦ Προφήτου λέγοντος, Capite nempe primo;

ita

ita & in altero, ſeu ſecundo. XXVII. Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου τοῦ Προφήτου λέγοντος. Iterum idem aliis in locis. Frequens & crebro apud Matthæum uſu habita eſt vox κλαυθμὸς, quæ in Stragis continetur narratione; frequentior tamen altera τέκνα, uti & τέκνον ad natos, uti hocce in loco, exprimendos, voces prætermittens υἱὸν, & υἱοὺς; iccirco Periocha illa in qua Bethlehemiticorum cædes Puerorum exhibetur, verbis adeo phraſibuſque Matthæi propriis concinnata eſt, ut hæ caſu, aut natura verius, quam imitatione ac ſtudio uſurpatæ in illa videantur; unde characterem, coloremque Sacri Scriptoris in illa exhibeant, quam ſtylum Docti ſolent nuncupare.

Ad dicendi vero genus eſſet accedendum; ut enim Vir ajebat exactiſſimæ Critices ac Doctus, Sanctiſſimorum ſtylus Scriptorum non tam ex loquutionis charactere, quam ex charactere Perſonæ ducendus eſt: veroſimillimum videtur quippe, poſſe quemquam Catonianam loquutionem æmulari, aſt abeſt ſemper longiſſime a vero, Catonem in apertam Reipublicæ perniciem loqui potuiſſe. Adſit licet Catonianæ loquutionis character, niſi Catonianus tamen adſit animus, numquam mihi Catonianus ſermo ſit. Dicendi genus igitur, non characterem loquutionis modo, ſententiarum videlicet, verborumque pondus atque delectum ſpectat, ſed

ma-

magis Personæ characterem, ingenium ejus videlicet, ac sensum, quo res scriptæ sunt, aut scriptæ sint oportet; dicendi genus, inquam, si respicimus, statim atque procul dubio dignoscere valemus, haud fuisse piam per fraudem textui Evangelistæ additum Bethlehemiticum Infanticidium. Et sane, Historiam Evangelicam scripsit, uti notissimum, Matthæus eos propter qui Christi ad fidem ex Circumcisione venerant. Itaque totus erat, ut quæ contigerant reapse, Propheciis adimpletis confirmaret, quo magis advenisse reipsa Messiam, recentes illi ex Judæis Christiani facti pro explorato haberent atque crederent. Evangelistarum nemo tot adtulit, quot Matthæus, nemo tot adimpletas adnotavit Prophetias, quas in medium ferrem, nisi tædium ac molestiam Legentibus creare pertimescerem. Quam enim impervium non displicere pene omnibus languido ac simulationis pleno hoc, mala æque ac bona omnia nauseante sæculo! In illa utique potest quisque narratione cognoscere apertissime characterem Personæ, ex Prophetia Jeremiæ nempe adnotata, dicendi genus Evangelistæ; Vaticinium scilicet in loco statim memoratum; homines ex Circumcisione recens Christianos factos ad intelligentiam complementi Prophetiarum manuductos; haud alterius denique, quam Scriptoris nostri verba, phrases, stylum, ora-

orationis consilium denique & sensum. Certe, qui in Apocryphis, in Falsariorum Libris versati levissime etiam sunt, sat norunt, an tanti fuerint simplices illi, piis qui utebantur fraudibus primorum sæculorum Christiani, ut ea omnia apte adeo, non dicam imitari aut simulare, sed ne intelligere quidem & ad rem exprimere valerent. Quare vel Ipse magnus Critices Princeps ac Parens Clericus, quam locus postulat, consequutionem statuat. *Igitur*, inquit ille, *si quod occurrat, quod a linguæ ingenio, styloque Scriptoris prorsus non abhorreat, nec a sententia serieque Orationis sit alienum; nulla est caussa, cur consentientibus MSS. omnibus Codicibus, veteribus Editionibus, Translationibusve quidquam mutetur; præsertim si mutatio paullo major sit, alioqui latissima Corruptoribus aperietur fenestra, si liceret omnibus reclamantibus Codicibus quibusvis quidlibet mutare*. Hæc autem omnia quam optime rei, qua de agimus, conveniant, opus non est ut demonstremus. Haud etiam in Critice inferior erat Clerico Casaubonus, qui pulcherrimam tamen Camerarii emendationem Evangelico sibi admittendam in Textu non existimavit, *ob periculum mutandi vel minimum Apicem in Libris sacris, ubi præsertim constat de vulgatæ Lectionis vetustate, nisi ultima urgeat necessitas*.

Art. Crit. Part. III. Sect. I. Cap. 17.

Quoniam vero in ejus interpretatione versamur

mur Prophetiæ, quæ narrationem Cædis comitatur, nonnulla animadvertenda occurrunt, quæ illam Impoſtoris fœtum in loco utique non eſſe, evidentiſſime oſtendunt. Profecto ſi verba quæ Prophetiam Infanticidii exhibent, additamentum quoddam eſſent Textui Matthæi, non ita, aut ego fallor, ea ſcripta legeremus. Mos etenim Falſariorum eſt, ut aliqua fraudem ratione tegere conentur, maxime cavere, ne non ſinceri eſſe videantur; unde Canon ille Criticorum hominum: ſuſpicione haud carere nimis exactam & illiberalem diligentiam. Qui Periocham igitur illam Textui addidiſſet, Jeremiæ verba, uti in LXX.virali aut veteri, aut nova Interpretatione ſunt, procul dubio adferre perrexiſſet. Haud equidem ignotum nobis, plurium ſententia, Matthæum hebraica dialecto Hiſtoriam conſcripſiſſe ſuam; Verſionis eſſe verba atque phraſes, quibus de agimus in præſens. Verum Infantium de ſtrage dubitantes, Hebraicum utique non poſſent confugere ad Textum, qui nullibi eſt, cuique facta fuiſſe additamenta demonſtrare nemo poteſt; unde ſi qui Falſarii Matthæum interpolaſſe exiſtimantur, hi Græcum corrupiſſe dicuntur Textum, uti in Variarum Syllogis atque Criticis, Exegeticiſque videre eſt. De antiquitate & auctoritate Græci Textus hujuſmodi Evangeliſtæ, vadem in medium producemus Scaligeræis minime

ſuſ-

ſuſpectum, ſcilicet Caſaubonum ſcribentem: *Matthæum Hebraicè ſcripſiſſe, nos quidem non negamus, multis Veterum id affirmantibus: ſed primitivam Eccleſiam, jam inde ab ipſo primo illius exordio, Evangelio Matthæi Græcè ſcripto eſſe uſam, & Græcum Textum pro authentico habuiſſe, omni aſſeveratione nos confirmamus. Auctorem Textus Græci fuiſſe Jacobum fratrem Domini, Athanaſius gravis Auctor memoriæ prodidit; Johannem Evangeliſtam alii dicunt, ut legitur in vita Matthæi, & apud Theophilactum: ſunt qui Barnabæ Apoſtolo, ſunt qui Lucæ ac Paulo id ipſum attribuunt. Quæ diverſitas ſententiarum, ut de vero Auctore certo pronunciare nos vetat, ita illud certiſſime demonſtrat; ipſis Apoſtolorum temporibus, ab uno illorum, aut illorum auſpiciis, vel potius Spiritus Sancti, cujus ipſi erant organa, Græcum Textum ex hebraico eſſe confectum. Conſtat ſane Eccleſiam Dei hunc ipſum Textum inter Libros Canonis ſacri relatum pari cum ceteris Libris veneratione eſſe proſecutam: quod neque in Syriaca verſione, quam tamen antiquiſſimam eſſe non dubitamus, neque in ulla alia reperitur factum.* Ad rem autem noſtram magis faciunt quæ docet diligentiſſimus Simonius, qui quum verba de additionibus feciſſet, Nazaræorum ope Evangelio Matthæi, quod Hebraicè ſcriptum credit, factis, ſubdit: *On remarquera que toutes les Egliſes du Monde ont tirè*

Exercit. XV. contr. Baron.

Hiſt. Critiq. N. Teſt. Part. I. Cap. 7.

leurs Versions de l'Exemplaire Grec, ou ces additions ne se trouvent point, parceque Saint Matthieu avoit estè apparement traduit d'Ebreu en Grec avant que les Nazareens les y eussent insérèes. Dubitat Clericus an reipsa Matthæus Evangelium scripserit Hebraicè; communiori tamen hypothesi concessa, de præstantia integritateque Versionis Græcæ ejusdem Evangelii adversus Simonium ita scribit: *Il est tres-probable qu'il n'y avoit qu'une version de S. Matthieu depuis le premier Siecle. 1. parce qu'il ne reste aucun fragment d'aucune version dans les Anciens: 2. parce que toutes les Eglises, depuis le second siecle, se sont servies du texte que nous avons aujourd hui, comme il paroit par les citations des Peres, qui s'accordent avec notre exemplaire, exceptè en quelques varietez peu considerables: 3. parce que S. Ignace, qui a vecu sur la fin du premier siecle, cite quelques endroits de S. Matthieu de meme qu'ils se trouvent aujourdhui dans nos exemplaires. Dans son Epitre a ceux de Smyrne, il dit que Jesus Christ a etè baptizè par Jean,* a fin que toute justice fut accomplie par Lui ἵνα πληρωθῇ πᾶσα δικαιοσύνη ὑπ' αὐτῷ. Matth. III. 15. *S. Ignace cite aussi dans sa Lettre a Polycarpe* Matth. X. 16., & *dans celle qu'il adresse aux Ephesiens* Matth. XII. 33. *sans s'eloigner du Grec d'ajourdhui. S. Barnaba le cite sous le nom d'Ecriture.* Alio vero in loco, Antonii Bynæi Librorum de Natali Jesu Chri-

Billioth. Univers Tom. XII. p. 425.

Chriſti excerptum concinnans, ita idem Scriptor: *Toute l'Antiquitè a cru que Saint Matthieu a ecrit ſon Evangile en Hebreu, & que les explications Greques de quelques mots Hebreux, dont il s'eſt ſervi, ont etè ajoutèes par ſon Interprete. Pluſieurs Modernes, ſont dans ce ſentiment, quoi qu'il y en ait beaucoup d'autres, qui ſont d'une opinion contraire. M. Bynæus croit qu'on ne ſauroit, ſans temeritè, rejetter le temoignage conſtant des Anciens; mais que cet Evangile a etè traduit en Grec de bonne heure, par un homme Apoſtolique; & que les Peres Grecs, qui ignoroient abſolument la Langue Hebraique, ont negligè l'Original, pour s'attacher uniquement à la verſion; a peu près comme ils ſe ſont ſervis des LXX. preferablement au texte Hebreu.* Græco igitur de Textu loquendum in præſens eſt. Non ex LXXvirali certe interpretione hauſta verba ſunt Periochæ Matthæi. Sic enim in illa Jeremias: Ῥάχὴλ ἀποκλαιομένη τοὺς υἱοὺς αὐτῆς καὶ οὐκ ἤθελε παύσασθαι, ὅτι οὐκ εἰσιν. Diverſimode apud Evangeliſtam; nempe: Ῥάχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσί. Haud dici vero poteſt ita in LXXvirali veteri fuiſſe ſcriptum; celebrem enim antiquam Interpretationem ideo ab hodierna nonnulli diverſam autumarunt, quod illam Hebraicis cum fontibus conveniſſe prorſus fides ſit, quod non conſpicitur in hodierna. Verum qua, obſecro, ratione convenire Periochæ

Biblioth. Univerſ. Tom. XX. p. 44.

verba dici poſſunt Hebraicis cum fontibus? Ita textus Jeremiæ: קול ברמה נשמע נהי בכי תמרורים:
XXXI. 15. רחל מבכה על בניה מאנה להנחם על בניה כי איננו.
Eſt, uti certiſſimum, hocce in Textu ille Hebraiſmus, quo nomen *vox*, unum ex iis eſſe deprehenditur quæ ſuperfluere ſolent, atque abundare, iccirco ad talem exprimendum Hebraiſmum dici debuiſſet: φωνὴ θρήνου, καὶ κλαυθμοῦ, καὶ ὀδυρμοῦ, ceu nomen primum in regimine eſſet ceterorum, non disjuncta quidem omnia, ac uti legimus in præſens, nominativo caſu lata. Quare veriſſime Hieronymus ad illa Jeremiæ verba docuit, Matthæum in Evangelio, *nec juxta Hebraicum, nec juxta Septuaginta ſumpſiſſe teſtimonium*. Simonius reapſe, quum ad LXXviralem hoc Evangeliſtam in loco trahere cuperet interpretationem, ad ſuppoſitiones, ut ajunt, arbitrarias, adque dubias confugit conjectationes.

Hiſt. Crit. Nov. Teſt. Par. I.

Quum igitur neque ex Hebraica, neque ex LXXvirali, aut hodierna aut veteri, eruta verba ſint Prophetiam apud Matthæum exprimentia (quod facere Falſarius fortaſſe debuiſſet) reliquum eſt, ut cum Exegeticis omnibus, cum omnibus emunctioris naris Criticis, rationem ſcribendi Evangeliſtæ, dum veteres recenſet Prophetias, hoc etiam in loco dignoſcamus; Ipſumque ſecurum prorſus, ac nil ſua de conſcientia dubitantem, non ὁλοσχερῶς, non verbum ex verbo, ne mutata quidem ſyllaba, ſed ſenſum ex ſenſu,
de

de more, transtulisse fateamur.

Sed & altera obfert se se animadversio, qua pias inter fraudes Infantium stragem ostendimus haud esse recensendam. Falsarii, ut acutissimi aliquando sunt in vocibus eorum, quorum sub nomine Scripta simulant, æmulandis, ita ignarissimi ut plurimum rerum sunt, unde si adsuta leve etiam in examen revoces, statim produnt se se. Porro ut Jeremiæ Vaticinium Interpolatores aptare Cædis, uti arbitrantur Adversarii, Puerorum fabulæ potuissent, debuissent vim profecto verborum Jeremiæ noscere, Hebraismorum nempe, quorum modo ope, cum adsuta possunt narratione consonare. Quod antequam ostendo, de illa dicendum Opinione Veterum aliquorum est, inquirentium videlicet, quonam modo Matthæus Evangelista testimonium Prophetæ ad interfectionem transtulerit Parvulorum, quum decem de Tribubus scriptum illud esse videatur? Eruditissimi Viri Jansenius, Maldonatus, Spanhemius; qui ad Tribuum abductionem Jeremiæ Vaticinium pertinere putant, ad Infanticidium a Matthæo adcommodatum adhuc esse arbitrantur; ter geminum nempe Scripturæ complementum faciunt, sensus videlicet naturalis, mystici, adcommodatitii, aut quum ad ipsum quod per Scripturam dictum est, quamvis jam factum fuerit, tamen magis ac magis fit. Horum sententiam tamen oppugnat Samuel Basnagius, conten-

tendens, Oraculum neque de captivitate decem Tribuum in Aſſyriam deportatarum, neque duarum de captivitate Tribuum, Judaicæ ſcilicet & Beniamiticæ in Babyloniam abductarum, ſed ſolo de Bethlehemitico Infanticidio eſſe capiendum. Eos etiam caſtigat acutiſſimus hic Auctor, qui vocem *Rama* non putaverunt loci nomen eſſe ſed *excelſum* eſſe interpretandam. רמה nominis officio quandoque fungi non ignotat quidem, verum tunc adjectivum eſſe oſtendit, quum conjungitur cum ſubſtantivo, quomodo Exodi XIV. 18. ביד רמה *manus excelſa*. Subſtantivum vero fœmininum ברמה dicitur, uti apud Michæam. Senſu igitur illorum Veterum, non ברמה ſcriptum eſſe debuiſſet, ſed ברומה, vel במרום quemadmodum apud Eſaiam. Qua equidem in re doctiſſimum Simonium Baſnagio video conſentientem. Sane Periochæ, de qua in præſens ſermo eſt, Auctor, in ea revera fuiſſe videtur ſententia, ut voce *Rama* non adjectivum nomen, ſed locum deſignaſſe cenſendus ſit; neque enim φωνὴ ἐν Ῥαμᾶ ſcripſiſſet, ſed φωνὴ ἐν τῇ ὑψηλῇ; quemadmodum Hietonymus olim, & Theophilus Antiochenus hic, Origenes ad Jeremiam perperam legerunt, ſi in excelſo exauditam vocem denotare voluiſſet. Animadvertebat acutiſſime Baſnagius *Rama* apud Jeremiam loci nomen eſſe debuiſſe, quod indicandum foret ubi vox illa tanti ſignum doloris exaudiri debuiſſet;

Annal. Politico-Eccl. Ann. ante Dom. V. n. 66. 67.

Hiſt. Crit. N.T. Par. II. Cap. 4. & Par. III Cap. 24. & 30.

ex

ex tot autem Sinonymis conglobatis, *lamentationis, fletus, amaritudinis*, clamoris longe lateque diffusi magnitudinem satis intelligi, absque nova voce eam significante. Quam fortius vero hocce est Periochæ in verbis argumentum! nempe sinonymis illis adhuc conglobatis epithetum additum est πολὺς, quod nec in Hebraico Jeremiæ, nec in hodierno LXXvirali textu est. Accedit emphasis verborum: *Tunc adimpletum est dictum per Jeremiam Prophetam*, ceu revera in Infantium strage modo, plenum, perfectum, & consummatum evasisset Infanticidium. *Rachel plorans filios suos*, modus hebraicus dicendi, Fœminas ad significandas ex Rachele ortas, quemadmodum Judæos Jacobum ac Israelem Scriptura vocat, Judam aliquando, atque Davidem. Vel nomine Rachelis ipsam intellexit Bethlehemæ regionem, quod Rachelis Sepulcrum Bethlehemam versus esset, in confinio Judæ, ac Beniaminis. Heinc ex elegantissimo Hebraismo, Rachel plorans filios suos, idem profecto erit, ac Bethlehema plorans habitatores suos. Incolas enim alicujus regionis, ethnica Hebræi phrasi, Filiorum illius regionis nomine donabant: unde illa: *Dicite filiæ Sion*, nempe habitatoribus Jerusalem; *exulta valde filia Sion*; *clange filia Jerusalem*; *quoties volui congregare filios tuos*; *Filii mundi bujus*. Opus fuisset igitur, Interpolatorem Evangelii Matthæi, ut Puerorum simulatæ stragi

Genes. XXXV. 19.

Isa. 62. Zach. 4. Matth. XXIII. Lucæ XX.

gi

gi laudatam aptaret Jeremiæ Prophetiam, Personarum non modo ac rerum, locorumque relationem dignovisse, sed & Hebraismos calluisse maxime, & frequentissimum eorum apud Scriptores novi Testamenti usum, & hebraicam phrasim græca cum lingua componere in loco; doctrinam denique sequutum eorum, qui tergeminum tuentur Scripturarum sensum, naturalis videlicet, mystici, ac adcommodatitii; quæ profecto omnia in Falsario illius temporis facile invenire non possis. Apocryphorum revera ætatis illius Concinnatores suis illis infelicissimis laboribus homines se produnt plane rudes, omnisque expertes elegantiæ, barbari prorsus, atque rusticani; certe ad eruditas hujusmodi concipiendas fraudes nullo modo idonei. Docuit autem apte in rem nostram Clericus, haud dicendum, *Græcos stylum Apostolorum nimis* ἑλληνίζοντα, *studio complesse Hebraismis, quos ignorabant*. Itaque hucusque dicta, idonea animadversione Basnagii in re simili concludam. Multis scrupulum injecerat Josephi Historici de Descriptione Augusti jussu facta Cyrenio Syriæ Præside silentium. Lucam eam narrantem pluribus vindicat Basnagius, eaque maxime de caussa, quod, *cessante descriptione impletum Michææ Oraculum non fuisset, cum ea cessante de itinere Bethlehemitico Maria vix, ac ne vix quidem cogitasset*. Ita res est qua de agitur. Ostendimus Puerorum stragem Jeremiæ

Art. Critic. P. III Sect. 1. Cap. 12.

Annal. Politico-Ecclesiast. Anno ante Dom. V. num. XI.

miæ portenſam fuiſſe Vaticinio; ceſſante igitur illa, impletum Vaticinium non fuiſſet. Quod ſi non potuit non impleri Vaticinium, cur Infanticidii omiſſio a Joſepho facta ſcrupulum alicui injiciet? cur invito Oraculo ipſius de complemento quis inde dubitabit?

CAPUT TERTIUM.

Nullam ſat idoneam adferri poſſe cauſſam cur Bethlehemiticum quis Evangelio adſuerit Infanticidium; narrationem illam nil continere Herodis moribus, aut Hiſtoriæ Flavii adverſum; Hiſtoricum hunc etſi expreſſe ac nominatim Puerorum ſtragem non enarret, eam innuere tamen tacite ac implicite.

ETſi verum ſit, nonnullos aliquando Sacris aliquid etiam adſuiſſe monumentis, ex eo tamen male argumentatum dicimus, qui aut ſine cauſſa id factum arbitraretur, aut idoneam in medium ferre cauſſam non valeret, qua quid reapſe adſutum adſereret. Heinc alterum effluere dicimus apertiſſimum argumentum, quo ſuſpiciones eorum, qui Infanticidium inter adſuta enumerarunt, inani nixas fulcro ſtatim oſtendamus. Univerſi ſiquidem, qui interpolatrices aliquem in Librum injecere manus, aut genuino Textui addidiſſe aliquid, aut detraxiſſe exiſtimati ſunt, rationes habuiſſe, aut obtendiſſe

ſaltem inveniuntur, quibus tale ac tantum facinus tandem commiſere; nemo enim gratuito malus eſt, ut, ſi par utrinque ſpes affulgeat, nec diſpar ea quæ ſperes aſſequendi facultas, non quiſquam vir bonus & innocens, quam pravus & improbus eſſe malit. Ut exempla proferamus aliqua: In nonnullis Codicibus Lucæ, Hiſtoria deſideratur Angelica de conſolatione, & Chriſti ſanguineo ſudore. Cenſet Leuſdenus, videri Orthodoxos hoc pio feciſſe quodam zelo, quod illa Ariani ex hiſtoria probare conarentur, Chriſtum in eadem impaſſibilis Dei natura non fuiſſe. In pleriſque græcis Exemplaribus Epiſtolæ ad Timotheum legimus hodie: Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Sed pro voce Θεὸς, Latinus Interpres atque Syrus legerunt ὃ, confirmantque Lectionem eam Claromontanus Codex, alterque Oxonienſi in Editione memoratus. Eraſmo videtur additum *Deum* adverſus Hæreticos Arianos; Bezæ vero ſublatum fuiſſe ab iis qui vel Deitatem Chriſti, vel utriuſque Naturæ unionem jam inde ab ipſo conceptionis momento perperam negabant. Deſideratur aliquibus in Codicibus Hiſtoria Suſannæ. Factum hoc dolo Judæorum malo adſerit Huetius, ne Majorum impietatem ſuorum, & impudicitiam confiteri viderentur. Aliquibus in Marci Codicibus, vel totum, vel a verſu nono omiſſum eſt Caput decimum ſextum. Factum id Exſcriptorum ſane vitio ac inſcitia, quod

Diſſertat. de Tripl Diviſ. Nov. Teſt.

Cap. III. 16.

Propoſ. III. Dem. Evang.

quod uti ex Hieronymo patet in Epiſtola ad Hedybiam, Marcum ceteris cum Evangeliſtis in concordiam haud poſſe hoc revocari in loco exiſtimarent. Deſunt in aliquibus Lucæ Codicibus, verba quibus exprimitur, Chriſtum conſpecta Hieroſolymorum Urbe fuiſſe lacrymatum. Factum hoc adſerit Clericus a nonnullis lacrymas Chriſto indignas judicantibus. Eos vero qui eodem in Chriſto hominem a Deo ſejungere, & Divinitatem ab hominis diſpenſatione ſeparare ſtuduerunt, locum Johannis IV. 3. corrupiſſe idem Clericus ex Socrate obſervavit; qui & dum Johannes Baptiſta Matth. III. ſe baptizare aqua dixit in pœnitentiam, eum autem qui poſt ſe venturus erat, baptizaturum *in Spiritu & igne*, quum MSS. Codices laudarentur, in quibus voces *ἐν πυρὶ* abſunt, ſuſpicatum fuiſſe monet Grotium, Hæreticos nonnullos igne baptizantes, illi depravationi occaſionem præbuiſſe. Licet denique Exemplaria pene omnia Lucæ II. 13. habeant, *Et pater ejus & mater;* nonnulla adhuc tamen legunt, *Joſeph & mater ejus*. Conjecit ſtatim Eraſmus mutatum id a quopiam, qui Joſephum Jeſu Patrem vocare vereretur; unde inferas aperiſſime (ſive Simonium, ſive Clericum, ſive alios Variarum legas Collectores) aliqua ſemper de cauſſa inductam aut mutationem, aut additionem. Imo prætereundo animadvertas velim, quam diverſæ ſint additiones hæ, ac mutatio-

Art. Critic. P. III. Sect. I. Cap. 15.

Ibidem.

tiones, ab illa longe majori, quam Evangelio ajunt adsutam, qui de Infanticidii veritate dubitant. Illæ quippe tales sunt, ut pluribus recensitis scribere merito Clericus potuerit: *Hæ sunt depravationum manifesta, nisi fallor, exempla; quæ tamen, ita rem administrante Providentia, neminem fallere possunt, nisi qui sponte falli velit; cum antiquissimi Codices, & priscæ Translationes, & Scripta veterum Patrum satis ostendant quæ sit vera locorum in nonnullis Codicibus depravatorum lectio; ne jam Doctrinam ac stylum Apostolorum memoremus.* Verum diversi generis depravatio esset, quam post Manichæos ac Anabaptistas suspicantur hic Scaligeræi; mutatio magna esset, interpolatio maxima. Non igitur agitur hic solum de mendo a Librariis admisso, agitur integra de Periocha, agitur de tota Infanticidii narratione, ipsique addito Prophetiæ complemento; integræ Historiæ petitur rejectio, quod sane ferendum non est; si enim absque Codicum dissensu, absque idonea de caussa, levissimisque ac generalibus ex Conjectationibus, de integritate Scriptorum, de variationibus Veterum sententia ferenda est, haud video quid veluti certum credere mens poterit,

Art. Critic. P. III. Sect. I. Cap. 15.

Quale per incertam Lunam sub Luce maligna
Est iter in Sylvis, ubi Cœlum condidit Umbra
Jupiter, & rebus nox abstulit atra colorem.

Si enim ex uno prophanorum Scriptorum silentio,

tio, ſi noſtris tantum ex ideis, Evangelicis de factis judicandum eſt, quæ, obſecro, narratio, quæ Hiſtoria certa eſſe poterit in Evangelio? *Nam ſi ſemel*, ut verbis utar Vincentii Lirinenſis in aureo ſuo Commonitorio, *ſi ſemel, admiſſa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere, quantum exſcindendæ, atque abolendæ Religionis periculum conſequatur. Abdicata enim qualibet parte Catholici dogmatis* (ita etiam Scripturarum) *alia quoque, atque item aliâ, ac deinceps alia & alia, jam quaſi ex more & licito abdicabuntur. Porro autem ſingillatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum ſequetur, niſi ut totum pariter repudietur?* Verum hæc obiter, revertamur iterum ad inſtitutum.

Multorum teſtimonia Patrum adfert Auctor Artis Criticæ capite citato, quibus certiores ſumus, Hæreticos ſuorum cauſſa confirmandorum dogmatum, multa ſacris immutaſſe in Literis, idem Ipſo de Orthodoxis etiam adſerente, ubi ſcribit: *Sed & homines nequam, quos non Criticos vocaverim, cum Critica nequaquam uterentur, ſed Falſarios data opera, varia in Veterum Scriptis mutaverunt, aut iis detraxerunt, aut adſuerunt, ut legentes fallerent. Quod in Antiquitatibus Ethnicis rarius contingit, in quibus operæ pretium non erat fallere; ſed in Eccleſiaſticorum Scriptorum antiquiſſimis monumentis, quæ contendentes Chriſtiani in ſuas quiſque partes trahere conabantur, frequen-*

Art. Critic. P. III. Sect. I. cap. 15.

quenter accidit; ut in hujus Operis Præfatione jam monuimus, & aliis exemplis manifestis postea ostendemus. Id in veteris præsertim ac novi Testamenti Exemplaribus, Religionis studio ab Lanfranco perpetratum, ipsiusmet testimonio contendit. Ut ut autem sit illorum de conditione, ac Dogmate, qui Interpolatores ac Falsarii fuerunt, certum semper tamen est, eos, quicumque fuerint, aliquo actos motivo ac fine, aut saltem obtentu, tantum admisisse facinus. Verum Scaligerano in Interpolatore caussam reserare ejus, quam creditur confixisse Fabulæ, pervium utique non est. Quæ enim esse umquam potuit? Cui bono? quo consilio? qua spe? qua mercede Infantes illos occisos tradidisset? Num ad Altaria sacrorum Imaginibus Martyrum cumulanda? Non admitterent Scaligeræi hanc in primorum Christianis temporum Religionem. Num ut inauditam in adventu Christi adimpletam ostenderet Prophetiam? Sed quid opus erat novam Evangelio Matthæi Prophetiam addere, tot jam onustum ac refertum Vaticiniis? Aut, numquid Prophetiæ deerant vetere contentæ in Testamento, quæ actibus aptari possent Christi omnibus, quin ad fabulam esset confugiendum, quo plura in ipso completa Vaticinia quis ostenderet? Demonstratio Evangelica Huetii sat ostendit, quam multa in iis quæ divinus Redemptor in tota vita egit sua, adimpleta fuissent Vaticinia; sique Falsarius illam

illam novit Prophetiam, quæ tamen in captivitate decem Tribuum, aut in Judæis ac Beniamitis in Babyloniam abductis, prima fronte completa videbatur, cur apertiora cetera de Christo haud noverit inde Vaticinia, quæ studio sic aptandi, Evangelii partibus adsueret, facta Christi, quæ cum illis convenire videbantur, describentibus? Non ex Puerorum Cæde, aut Gnosticorum placita, aut Dogmata Catholicorum firmabantur; & contendentium etiam tunc temporis Christianorum suam nemo in partem trahere potuisset aut factum, aut testimonium. Unum superesse videretur, Christianos videlicet Herodis ac Herodiadum memoriæ (etsi ex Historiis immane eruatur modo in Herodem sive vivum sive mortuum Judæorum odium; Judæos autem Periochæ & completi Vaticinii suspicari Auctores, esset dementissimi) Christianos, inquam, crudelem illam simulasse lanienam, quæ Herodem, ceu sævissimum Posteritati hominem, ac crudelissimum, vel Innocentissimorum in vitam sævientem denique Tyrannum repræsentaret.

Verum hæcce Conjectatio abest adeo, ut in suspicionem de Infanticidii falsitate inducere nos valeat, animum ut satius excitet ad ea cogitanda, e quibus aliud, & quidem strenuum argumentum effluit, quo Bethlehemiticæ Historiam Cædis acrius propugnemus. Jam enim receptissimum diximus apud omnes Criticos effatum,

nul-

nullum habendum esse locum pro corrupto, nisi aliquid contineat quod naturæ rei ac Historiæ contradicat. Ut igitur Infantium de strage aliquo videretur saltem obtentu dubitandum, eandem non debuisset modo Flavius omittere, sed vel oppugnare debuisset, vel esse debuisset exploratum saltem, Herodi perhumanum semper animum fuisse, lenem, mitem, totius perturbationis, totius iræ ac impetus expertem; non tantum ab omni iracundia ac facinore alienum, sed aliorum imo incolumitatis felicitatisque studiosissimum; ut enim recte ajebat Tullius Oratione pro Sulla: *Omnibus in rebus quæ graviores majoresque sunt, quid quisque voluerit, cogitarit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus ejus, qui arguitur, est ponderandum. Neque enim potest quisquam nostrum subito fingi, neque cujusquam repente vita mutari, aut natura converti.* Verum universa ex opposito Herodis in vita, exque actis ejus a Flavio maxime descriptis, quid aliud, obsecro, conspicimus, nisi Tysiphonem quandam, e stygiis missam tenebris, feros implexam pro crinibus angues? quid, quod Ipsum adversus quoscumque, qui Regnum eripere sibi posse videbantur, novercali, & vatiniano odio flagrasse non evincat? Casaubonus figmentum illorum irridens, qui Regis illius dominatum, illegitimum inde statuebant, hæc scribit: *Cæcutiunt Viri alias doctissimi, ut non intelligant Regnum Herodis,*

rodis, si mores illius ac facta spectentur, totum fuisse tyrannicum a principio ad finem; si tempora comparentur, in ipso fine magis, quam in principio. Nam quæ Tyranni facta crudeliora esse possint iis, quæ paullo ante mortem ac moriens tetra illa ac dira bellua designavit? Tres filios supplicio affecit: e singulis familiis singulos, aut fortasse etiam plures conclusit in Circo, post obitum suum occidendos. Infantes denique bimulos totius Bethlehem, & agri Bethlehemitici crudelitate inaudita jussit jugulari. Hæc sunt Herodis, legitimi jam Regis, si Superis placet, præclara facinora: quibus paria toto superioris vitæ illius spatio non possunt sententiæ hujus Patroni deprehendere. Crudelitatem Herodis fuse ex Flavio Josepho describit Christianus Noldius in Historia Idumæa, quem per se animo mobilem & suspicacem ostendit, Mariamnem Regii sanguinis fœminam, suam etiam Uxorem peremisse; addidisseque sceleri scelus, & una cum ea fratrem Aristobulum, Matrem Alexandram, duosque suos ex ea filios Alexandrum & Aristobulum interfecisse; Josephum & Constabarum adfines, & illum etiam Patruum occidisse; Dorin & aliam Mariamnem Uxores aula ejecisse. Fama erat & fratrem Pheroram veneno eum sustulisse; præter multos sine fine ex fidissimis, & ipsum illum scelestissimum Antipatrum filium ex Doride. Sed hæc talia modica, quæ in suos perpetravit. Pergit ex Flavio ostendere idem

Exercit. I. in Appar. Baron.

Noldius, crudeliora adhuc, nec minora reliqua esse; inque tantum illum exuisse hominem, & divina humanaque promiscuo nil pensi, nil moderati habuisse, ut præter duos illustres Summos Pontifices, quos tetra illa sanguinis vomica impie occidit, quatuor alios officio deposuerit; Pharisæorum sex millia aut necaverit, aut multaverit; sustulerit & Sanhedrin, seu Judices LXX. & iis, uno excepto Samea & Pollione, seu Baba, cui tamen oculos effodit, Proselytos substituerit; multosque alios, quorum inexputabilis est numerus, ferro aut flamma interfecerit. Hæc omnia, uti alia etiam plurima, ex Flavii Josephi Historiarum Libris ac Judaico de Bello, Noldius, uti dixi, confirmat vehementer; quorum ego nisi nota essent testimonia adferrem, quæque desiderabuntur fortasse solum, in medium non producta, lata vero, nonnullos nostri temporis Lectores tædio ac molestia adficerent. Heinc idem laudatus Scriptor ex tot crudelitatis in Herode signis, quæ ex Flavio deduxerat, ad Infanticidium transit Bethlehemiticum, quod ideo fecisse arbitror, quod quamvis descriptum a Josepho non sit, tale tamen est, ut nullam aut manifestam, aut occultam cum Historia ejus de Herode habeat reipsa pugnam. Ratione igitur morum Herodis habita, morum, inquam, Herodis ab ipso Flavio descriptorum, cur de Puerorum strage non erit Sacris Literis credendum,

ceu

ceu non adeo crudelis, Flavio fortasse teste, fuisset ille Princeps, ut vel omissa ab Historico ejusmodi Infantium laniena, concipi jure posset adversus Scriptorem Periochæ suspicio?

Hoc usi reapse sunt ad Herodianum Infanticidium a silentio Flavii vindicandum argumento celebres duo inter Protestantes Viri Spanhemius, atque Ottius, quorum posterior in suis ad Flavium Josephum Animadversionibus, Noldiano more, crudeliora ex Libris Josephi collegit Herodis facinora, quibus enumeratis ita concludit: *Hæ Flavii Relationes quamvis Cædem Bethlehemiticam non immediate ponant, tamen eum testem constituunt ejus veritatis, quam Matthæus divinitus nobis pandit.* M. Andreas Franckenbergerus etiam Flavii Scripta ad sydera tollens, Ipsum Testamento Novo subservire & ancillari egregie contendit, ob id præsertim, quæ Historicus tradidit de Herode. *Præterea*, inquit, *Testamento Novo subservit & ancillatur. Flavius Josephus* Instit. Antiq. & Histor. *Libro decimo quarto, Capite vigesimo quinto cum aliquot sequentibus, ut de Herode magno Rege Judeæ, qui* ἐξ ἰδιώτου *editus, largitionibus ac amicitiis, ad summum honoris gradum ascendit: Rex declaratus Romæ C. Domitio Calvino iterum, & C. Asinio Pollione Coss. sed Vir in omnes ex æquo crudelis, ira sævus, juris dominus, fortuna autem propria usus.* Ἀνὴρ ὠμὸς μὲν εἰς πάντας ὁμοίως &c. *Quamquam enim tam Populo, quam suis pro-*

pter impietatem, sævitiamque invisus, in multa magna pericula incidit; tamen præter omnium expectationem semper feliciter evasit, donec morbi genere prorsus tragico ac fœdissimo correptus est. Vides igitur, ipso ex Flavii testimonio, imo pluribus videre apud Noldium & Ottium potes ex Flavii testimoniis, crudelissimum ac impotentissimum in Herode Tyrannum; & uti alterum Tiberium, alterum Neronem noscere in Herode potes, ita alterum Tacitum in Flavio. Vides hominem, quem optime iisdem pinxeris coloribus, quibus Horatius in Arte Poetica pingi voluit Achillem,

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura negat sibi nata;

Hominem vides, cujus ex Actis suas arbitreris Macchiavellum derivasse imperandi artes; vides Principem vel suorum in neces propensissimum, impiumque sumentem miserorum de sanguine solatium. Talem autem hominem, quem a patriis etiam recessisse moribus, & ad omnia inclinasse scelera ipse tradidit Josephus, invito Matthæi testimonio, Bethlehemitica ab cæde absolvendum ducet Scaliger? Itaque nil Evangelista tradidit contrarium Historiæ dum Herodiano scripsit de Infanticidio, sive nihil tradidit Herodis moribus, uti a Flavio exhibiti etiam sunt, oppositum ac adversum. Haud interpolatus igitur illo in loco Matthæus erit; habitus siquidem hu-

hujuſmodi Hiſtoriæ conſenſus fuit apertiſſimum ſemper, imo περὶ γνησιότητος καὶ νοθείας ſcriptarum rerum intimum indicium.

Porro ex nonnullis ab ipſo Flavio memoratis aliud effluere exiſtimo non certe ludicrum momentum, univerſam quod eradicare valeat Scaligeranæ dubitationis, aut, verius ut dicam, negationis originem ac fontem. Non enim inferre modo poſſumus, haud habendum eſſe Matthæi locum pro corrupto, quod nil contineat naturæ rei, moribus videlicet Herodis ac Flavii Hiſtoriæ adverſum; verum abſolute, ita ut loquar, falſum dici etiam poteſt, Herodianum Infanticidium haud fuiſſe Joſepho memoratum. Etſi enim expreſſe, nominatim, ac explicite Bethlehemiticos Pueros interfectos non adſerat Joſephus, innuit tamen tacite ac implicite; unde ſine vi ac omnino pervie, ab Hiſtoria per Evangelium nota lucem mutuare ac interpretari poſſe videatur, traditamque una Evangelico in Codice Periocham ac Hiſtoriam confirmare vehementer. Fuiſſe autem hujuſmodi legimus ſententiæ Natalem Alexandrum, doctiſſime ſcribentem: *Joſephum Lib. XVII. Cap. 3. inſigne Herodis facinus narrare quod aliquo modo huc* (Puerorum videlicet ad ſtragem) *referri poteſt. Phariſæos ſcilicet Pheroræ Uxori prædixiſſe, Deo decretum eſſe, Regnum ab Herode auferri, & in ejus progeniem transferre; novo Regi omnia proſpere* Ad Caput II. Matth.

ceſ-

cessura. Hanc prædictionem cædes complures secutas. Etsi enim per adulationem aulicam talia ad Pheroræ familiam a Pharisæis translata, res tamen eadem, indicium de transferendo Regno & novo Rege constituendo, quod secutæ cædes. Quid obstat reliquis Cædibus Herode ob varias id genus prædictiones in furorem acto, Bethlehemiticorum Puerorum cædem adjectam? An mirum, rumoris illius & cædium subsecutarum partem a Josepho narratam, partem suppressam? Et si uni Josepho cædes Bagoæ & Cari, & aliorum referenti fidem habemus, cur minor habenda Matthæo referenti Infanticidium Bethlehemiticum, cujus tam aperta caussa præcessit, Indicium nimirum de Messia recens nato, confirmatio Prophetica Nativitatis ejus Bethlehemi, rumores die Purificationis Beatæ Mariæ de Christo Jerosolymis in Templo viso & celebrato sparsi, furor Herodis se delusum a Magis existimantis? His omnibus Tyranni pectus implentibus & cruciantibus, mirum non est, tam horrendam stragem illius imperio Bethlehemi patratam esse. Interpretationi autem Natalis consentire videtur Ludovicus Capellus, aut illi ortum dedisse in Historiæ Judaicæ Compendio ex Josepho contracto ad illustrationem Historiæ Evangelicæ & Apostolicæ Novi Testamenti accommodato, illo de Pheroræ facto ita scribens: *Cædem Infantium Bethlehemiticorum ab Herode factam, videtur voluisse Josephus hoc Commento obscurare.* Hujusmodi in-

interpretandorum Historicorum, & narrationes ab eisdem eruendi rationem Viri maximi inierunt. Dubitaverat olim Christophorus Adamus Rupertus, imo Halicarnassæi silentio actus, inficiabatur, Romanorum Magistratus, Parentum delicta in Liberis vendicare solitos fuisse, idque ad Thomam Reinesium scripserat, qui sic ei egregie respondit: *Solitos vero tum Romanos Magistratus Parentum delicta in Liberis vendicare, plane confirmat Dionysius, quem tu id negare contendebas; cum dicit tempore Belli Marsici, id fecisse nonnullos. Temporibus enim C. Gracchi, in cujus Clientes & Amicos crudelissime quæsivit Cos. Opimius: item Fulvii Flacci, cujus Filium, quamvis immunem delictorum paternorum interemit idem, semina Belli Italici, seu socialis, quod Civitas Sociis modo promitteretur, modo negaretur, jacta erant, & gliscebant; & quia exempla vindictæ atrocissimæ de Liberis proscriptorum a Sylla, quæ multa poterat, non commemorat tamen; multo minus singularia illa duorum Cæpionum, & duorum Flaccorum, Patrum ac filiorum enarrare necesse erat; interim quia nominare eos supersedit, non propterea non ista sic evenisse negabimus. Imo si Opimii Cos. exitum consideremus, non ultra dubitare possumus, quin eum ipsum Dionysius tacito licet ejus nomine tetigerit.* Non ergo hujusmodi, uti dicebam, Historicos interpretandi ratio, frigidum est ac otiose natum in Cœnobiis commentum, nec in Scriptori-

Epist. XXXI.

toribus modo prophanis enarrandis uſu habitum, ſed in rebus etiam Sacris pertractandis. Contendebant plurimi noſtrarum partium, genuinam non eſſe Epiſtolam Epiphanii ad Johannem Hieroſolymitanum, quod maxime Iconomachi eam numquam objecerint Catholicis. Reſpondit acutiſſimus Rivetus, Objectiones alias eſſe expreſſas atque explicitas; alias implicitas ac tacitas; poſteriore hoc autem objectam modo ab Iconomachis Epiphanii auctoritatem ac ſententiam; quod dictum velim ceu opportunum modo & ad hominem, ut ajunt, adverſus Scaligeræos argumentum. Itaque quum ſcripſerit Joſephus, Herodem timore pavidum, & ad omnes ſuſpiciones excitatum, multos Innocentes, metu ne quem nocentium prætermitteret, interemiſſe: quum ſcripſerit, Herodem e vita diſceſſurum curaſſe, ut ex ſingulis Familiis uno aliquo ſublato tota gens in luctum conjectaretur: quum ſcripſerit, Phariſæorum prædictionem de Regno ab Herode auferendo cædes reipſa plurimas ſequutas: etiamſi Pueros Bethlehemiticos nominare ſuperſederit, haud propterea negari poteſt tamen, lanienam illam fuiſſe perpetratam; quin potius, ſi rerum tunc temporis conditio ac ſtatus, qualem Joſephus exhibet, conſideretur, haud ultra, quin ſtragem illam Flavius ipſe, tacito licet nomine, tetigerit, quin Ipſa revera Herodis impetu contigerit, erit proculdubio dubitandum.

Critic. Sacr. Lib. III. Cap. 19.

CA-

CAPUT QUARTUM.

Euſebius ſuper narratione Infanticidii Bethlehemitici ab Fabri cenſura vindicatus. Infantium confirmatur Cædes teſtimonio Macrobii illuſtrato.

ETſi Sacris de Codicibus Infanticidii Bethlehemitici in Hiſtoria minime corruptis, deque Judæorum Hiſtorici ea in re ſilentio univerſa ſit præſens noſtra Diſceptatio, operæ tamen pretium arbitror, cenſoriam quandam Tanaquilli Fabri adverſus Euſebium adnotationem in examen revocare, qua videlicet huncce Hiſtoricum maxime notat, quod Herodianum Infanticidium ab ipſo Flavio dixerit memoratum. Totus eſt Faber in Epiſtola ad Johannem Chabrolium, ut Flaviani de Jeſu Chriſto teſtimonii ſinceritatem ac antiquitatem evertat; oſtendatque veri eſſe ſimilius, nil aliud locum illum eſſe, quam τέχνασμα Euſebii, quod exemplo confirmare pergit falſitatis, ut ait, inſigni de SS. Innocentibus apud eundem Euſebium his verbis: *Addam aliud exemplum quod ingenium hominis penitiſſime aperiat. Libro primo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. VIII. ubi de crudeli Infantum carnificina agit, qui* ἀπὸ τοῦ διετοῦς καὶ κατωτέρω, *ut ait Evangeliſtes, ſuſpicioſi Herodis imperio contrucidati fuerant, ſcribit*: Ὡς δ' ἅμα τῇ κατὰ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν καὶ τῶν ἄλλων νηπίων ἐπι-

βουλῇ, θεήλατος αὐτὸν καταβαλοῦσα μέχρις εἰς θάνατον κατήλασεν, οὐ χεῖρον καὶ τῶν φωνῶν τοῦ συγγραφέως ἐπακοῦσαι κατὰ λέξιν, ἐν ἑπτακαιδεκάτῃ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας τὴν καταστροφὴν τοῦ κατ' αὐτὸν βίου, οὕτω γράφοντος τὸν τρόπον. *Id est*: Ceterum, quomodo ſtatim poſt inſidias Servatori noſtro, & aliis Infantibus factas, cœlitus invecta plaga, illum ad extremum afflictarit, non erit alienum vocibus Auctoris (*Joſephi ſcilicet*) ad verbum citatis attente auſcultare: qui quidem in decimoſeptimo Judaicæ Antiquitatis Libro vitæ illius exitum accurate ſcribit in hunc modum. *Tum Joſephi teſtimonium producit, in quo poſt multa, quæ nihil neceſſe eſt tranſcribere, inter cetera hæc leguntur*: Ἐλέγετο δὲ οὖν ὑπὸ τῶν θειαζόντων, καὶ οἷς ταῦτα προαποφθέγγεσθαι σοφία προὔκειτο, ποινὴν τοῦ πολλοῦ δυσσεβοῦς ταύτην ὁ Θεὸς εἰσπράττεσθαι παρὰ τοῦ Βασιλέως. *Id eſt*: Dicebatur ab iis, qui divinandi arte multum pollebant, quique in ſapientia ac ſcientia rerum hujuſmodi interpretandarum omne ſuum ſtudium collocabant, Deum has pœnas a Rege ob variam & multiplicem impietatem expetiviſſe. *Sed iſtud quidnam aliud eſt* (ſubdit Faber) *quam ex hac ſtatua caput demere, ut in illud transferas? Nam in eo Joſephi loco de teneris Infantibus ab Herode interfectis ne Mu quidem Lucilianum, ut ajunt, ſed de Juda Sariphæi, & Matthia Morgalothi filiis, Herodis jam morientis juſſu interfectis, ibi agitur; & tamen fidelis Euſebius, ſublata altera Hiſtoriæ parte, & prætermiſſis illorum*

rum νομοδιδασκάλων *Judæ & Matthiæ nominibus, Josephum Auctorem producit. Quid quæso isthuc sit aliud, quam* στροφὰς στρέφειν? *Quin, tempora ipsa non conveniunt; quod saltem vidisse debuerat Eusebius, si Personas mutare decreverat. Nam quod ait idem Scriptor,* ἅμα τῷ, statim post; *& antea,* μηδὲ σμικρᾶς ἀναβολῆς γεγενημένης (nulla vel minima quidem mora interposita) *falsum est. Quid ita tandem? Quia quod ibi a Josepho narratur, anno demum septimo post* Βρεφοκτονίαν *evenit.* Hæc Eusebiana de narratione Faber, quæ si animadvertissent qui Scaligerana edidere, pervium arbitror fuisse, ut ea ratione, qua Flavianum de Jesu Christi testimonium Josephi textui primum ab Eusebio additum suspicatus est Faber, ita eodem ab Eusebio insertam Evangelistæ textui Puerorum cædis Historiam Scaligerum fortasse docentem induxissent.

Hujusmodi porro Fabri Objecto ut fieret statim satis, nil requiretur aliud, arbitror, nisi ut animadversione Baronii uteremur, qui de simili Ad Ann. Chr. I. prorsus loquens Eusebii testimonio, ubi videlicet Eusebius Flavium veluti testem in medium adducit in re, de qua altissimum apud Historicum illum silentium, *Hæc ille*, inquit Baronius, *quæ quidem cum apud Josephum non reperiantur, sunt enim multa ab eo prætermissa, non aliunde quam ab aliquo digno Auctore Eusebius mutuatus videtur, qui eadem breviori summa contraxit.* Eo

autem potiore jure Baronii cogitatum argumento Fabri aptare possemus in præsens, quod in re ipsa qua de agimus, videlicet in strage ipsa Puerorum, exemplum apertissimum præsto sit ejusmodi Excerptorum, quibus a Flavio conscripta, aliqua cum diversitate tradi potuerunt. Photius reapse Epitomem tradere instituens Libri illius Flavii, in quo de Herode hic agit, ejusque de Actis, hæc habet: οὗτος Ἡρώδης ἐστὶν Ἀντιπάτρου τοῦ Ἰδουμαίου καὶ τῆς Ἀραβίσσης (Κύπρις δ' ὄνομα αὐτῇ) παῖς, ἐφ' οὗ καὶ Χριστὸς ὁ Θεὸς ὑμῶν ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ ἡμετέρου γένους, παρ-
Tmem. CCXXXVIII. θενικῆς ἀποτίκτεται μήτρας. καθ' οὗ καὶ μανεὶς Ἡρώδης, τοῦ μὲν δεσπότου διήμαρτε, φονεὺς δὲ πολλῶν νηπίων γίνεται. *Hic est Herodes Antipatri Idumæi, & Arabissæ (Cypris autem nomen Ipsi fuit) filius: sub quo Christus Deus noster pro salute nostri generis virgineo utero editur: adversus quem furore actus Herodes, aberravit quidem a Domino, plurimorum autem Infantium interfector fuit.* Simile igitur in Compendium incidit forsitan Eusebius; unde & non male in re non diversa conjecisse Baronium, & præcipitem nimium in accusando Eusebio Fabrum fuisse, eruere facile sit.

Haud nos vero latet, quam egregie, tacito licet Accusatoris præcipitis nomine, Fabro regesserit doctissimus Valesius elaboratissimis in Adnotationibus ad laudatum Eusebii testimonium. *Editus est*, inquit, *anno superiore Libellus de loco Josephi in quo Christi fit mentio. In eo libello hic Eu-*

Eusebii nostri locus (ὡς δ' ἅμα τῇ κατὰ τοῦ σωτῆρος καὶ τῶν νηπίων ἐπιβουλῇ) graviter sugillatur. Ac primo quidem Eusebius noster fraudis arguitur, qui a Josepho id dictum esse confixerit, de quo Josephus ne cogitavit quidem. Neque enim Josephus Herodem tantis doloribus ante mortem cruciatum esse dixit, ob persecutionem Christi, vel ob cædem Infantium. Objicit præterea Eusebio nuperus ille Scriptor, quod dixit, statim post cædem Bethlehemiticorum Infantium cruciatus illos Herodi contigisse; cum inter Βρεφοκτονίαν, & *Herodis fœdissimum illum morbum, septem anni, ut ille ait, intercesserint. Sed utramque Objectionem refellere facillimum fuerit. Neque enim dicit Eusebius, id quod Ipsi objicitur. Utitur quidem testimonio Josephi, ut probet Herodem maximis affectum doloribus interiisse, ob scelera quæ toto vitæ spatio commiserat: non vero ut probet totos eos cruciatus ob cædem Infantium & persecutionem Christi Herodem pertulisse. Quamobrem non est culpandus Eusebius, sed potius laudanda est ejus fides atque industria: qui cum ex Evangelicis Libris compertum haberet, Herodem nascenti Christo insidias comparasse, ac Infantes Bethlehemiticos trucidasse, ut eorum cæde Christum quoque involveret; cumque ex Josephi testimonio didicisset, Herodem paullo post, pestilenti vulnere corruptum inter gravissimos dolores animam exhalasse, utrumque simul aptissime conjunxit. Ac Josephi quidem testimonium attulit, ut rem ipsam prout acciderat* ex-

exponeret. Veram autem causam ob quam Herodes tot ac tanta perspessus fuerat, a Josepho ignoratam commemoravit. Nullum igitur est hic peccatum Eusebii, sed potius ejus qui Eusebium temere & inconsulto reprehendit. Nam Eusebius quidem sibi Ipsi constat. Quippe in Chronico mortem Herodis anno post cædem Infantium evenisse scribit: omnesque adeo Chronologi non diu post Infanticidium Herodem vixisse consentiunt.

Miror doctissimum Valesium Sancti Johannis Chrysostomi testimonio suam interpretationem, suasque non confirmasse vindicias; tali enim utitur Sanctus Pater dicendi ratione, ut nec ab Eusebio differat, & Eusebii Enarratorem rem acu tetigisse apertissime demonstret. Ostendere pergebat Chrisostomus, Christum non fuisse caussam stragis illius Bethlehemiticæ, mirantibusque sive postulantibus, cur Deus inde Innocentes occidi sinere potuerit, postquam de malorum permissione, ex quibus bona Deus eruit, doctissime dixisset; ita denique Herodem fuisse a Deo ob Tragœdiam Bethlehemiticam punitum Josephi testimonio evincere contendit: *Quod si pusilli es animi, nec tantam potes Philosophiam attingere, disce finem illius qui hæc ausus est, spiritumque resume. Celerrima quippe illum facinoris vindicta corripuit, tantique sceleris dignas dedit pœnas, dira morte, & ea quam intulit miserabiliore vitam claudens, innumeraque alia passus mala. Quæ discere* po-

poteritis si Josephi Historiam evolvatis, quam, ne longiore utamur sermone, neu seriem nostram intercipiamus, præsentibus non inserendum esse putavimus. Εἰ δὲ ἔτι μικροψυχεῖς καὶ ἐλάττων εἶ τῆς ἐπὶ τοιούτοις φιλοσοφίας, μάθε τοῦ ταῦτα τολμήσαντος τὸ τέλος, καὶ μικρὸν Homil. IX. in Matth. ἀνάπνευσον. ταχίστη γὰρ αὐτὸν ὑπὲρ τούτων κατέλαβε δίκη, καὶ τοῦ μιάσματος τούτου τὴν προσήκουσαν ἐδίδου τιμωρίαν, θανάτῳ χαλεπῷ καὶ τοῦ νῦν πλημμεληθέντος ἐλεεινοτέρῳ καταλύων τὸν βίον, καὶ ἕτερα μυρία πάσχων κακά. ἅπερ εἴσεσθε τὴν Ἰωσήπου περὶ τούτων ἱστορίαν ἐπελθόντες. ἣν, ἵνα μὴ μακρὸν ποιῶμεν τὸν λόγον καὶ τὴν συνέχειαν διακόπτωμεν, οὐκ ἀναγκαῖον εἶναι ἐνομίσαμεν τοῖς παροῦσιν ἐνθεῖναι. Existimantes igitur veteres Ecclesiæ Patres, Herodem Infanticidii pœnas morte crudelissima dedisse, testimonio Josephi utebantur, tristissimum illius Principis funus describentis; ignorare licet minus possent Josephum fata Herodis illa Infanticidii ultioni non tribuere. Ut igitur Eusebius, ita & loquitur Chrysostomus; cujus verba uti vitilitigatori ambigua videri fortasse possent, ceu non tam dira mors, quam mortis caussa ab Historico Judæo esset eruenda; pacato tamen ea animo legenti clarissima dicenrur; ideoque ingratiis a Tanaquillo Fabro expositum Eusebium, jure, ex opposito, vindicatum a Valesio.

Qui tamen e verbis Cæsariensis eam, quam Faber adserit, erui adhuc vellet contendere sententiam, nostris adhuc e principiis, exque ea quam e Reinesio dedimus, Historicorum inter-

pre-

pretandorum ratione, ex pervia etiam interpretatione verborum Flavii, ſatius Euſebium poſſet propugnare. Quid enim obeſſe poterat Euſebio, quin memoratas a Flavio Herodis ante mortem lanienas, Bethlehemiticos etiam extenderet ad Pueros, eſto Judæ ſolum Sariphæi, & Matthiæ Margalothi filiorum nomina expreſſiſſet Flavius, ceterorum nominibus, quorum tamen cædes haud negat modo, innuit imo aperte, videlicet poſt prædictionem de Regno amittendo, ſilentio preſſis atque prætermiſſis? Vidit igitur Euſebius, Flavium, quia nominare Bethlehemiticos Pueros ſuperſedit, quod enarrare ſingulatim neceſſe non erat, haud propterea necem eorum inficiari tamen voluiſſe, quin ejus verbis penitus inſpectis, haud dubitavit, eam ipſam ſtragem, tacito quamvis nomine, vel Flavium tetigiſſe, ejuſdem iccirco, ſi interpretaretur ac recte intelligeretur, teſtimonio, eam confirmari poſſe haud perperam arbitratus. Verum vel concedamus Adverſario, Euſebium Eccleſiaſtica quam conſcripſit in Hiſtoria confixiſſe multa, multa permiſcuiſſe, longe plura obſcuraſſe; concedamus Euſebium addidiſſe Flavii narrationi Herodianum Infanticidium; adhuc Fabro tamen victore, validum, niſi me fallit animus, effluit illo ex errore argumentum, quo Infantium Martyrium ſtrenue magis propugnemus. Cur enim, vel ubi non aderat, conſcriptam imma-

ma-

maginatus Eusebius fuisset Puerorum stragem, cur cædes ante mortem Herodis perpetratas, sequutasque, ob prædictionem Pharisæorum de Regno ab Herode auferendo & futuri felicitate Regis, lanienas, ad Bethlehemiticos retulisset Eusebius Pueros, nisi quod ætate sua certissima, receptissima, ac vulgatissima strages illa esset, nisi quod non aliquorum Commentum esset, aut ex Apocryphis ac Falsariis obscure derivata, sed satius quod firma, stabilis, aperta certaque esset ac pro certo habita Historia? Nec enim ita loqui Eusebius potuisset, si hesterna ignotaque pluribus Illorum Tragœdia fuisset,

Quos dulcis vitæ exsortes & ab ubere raptos,
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Reapse vulgata adeo, adeo recepta Bethlehemiticorum erat Infantium Herodis jussu perpetrata strages, ut eam vel Macrobium Ethnicum Scriptorem memorasse conspiciamus, quod alterum esse volumus adversus Scaligeræorum dubitationes fortissimum momentum. Hujusmodi vim roburque auctoritatis vidit ac fassus est ipse Samuel Basnagius, in Annalibus Politico-Ecclesiasticis, sublatis de Infantibus hæc scribens: *Ingentem cladem, a Josepho præstante Historico omissam, merito mirantur omnes. Ex silentio tamen Josephi, aliàs diligentis sane Scriptoris, Matthæi narratio in dubium revocari non debet. Evangelistæ fidem adstruit Macrobius Ethnicus.* Sunt au-

Ad ann. ante Dom. V. Num. 64.

H tem

tem Romani hujusce Scriptoris hæc verba: *Cum* Lib. Saturnal. II. Cap. 4.
audisset Augustus inter Pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra biennium jussit occidi, filium quoque ejus occisum, ait: Melius esse Herodis porcum esse, quam Filium. Haud equidem ignoro, Herodem in ea quam edidit Puerorum acerbissima strage, filium quoque suum bimum haud occidisse; repugnat enim, sive quod nulli Scriptores id memoriæ prodiderunt, sive quod septuagesimum agens Herodes annum dum cædem Bethlehemiticam jussit, bimulum filium vix habere videtur potuisse; sive quod proprium Natum, & quidem innocentem privare sceptro voluisse dicendus non est; sive demum, quod non Bethlehemæ, sed Regalibus in Ædibus ac Hierosolymis nasci potius Herodis puer debuit ac ali. Verum hæc ut errasse Macrobium evincunt in illa Herodis filii, ut ita dicam, circumstantia, haud tamen in morte quam narrat Puerorum; neque ex illo Scriptoris, uti prima facie videtur, temporis errore, recte quis colligeret, universam beatissimis de Pueris etiam Historiam aniles inter fabulas esse rejiciendam. Quod enim novum hoc esset ratiocinandi genus, ex Appendice facto male addita, universum eradicare factum, effictumque credere ac negare? Quis unquam, ut ait ille Vetus, ab Historico fidem exegit? Hoc habet vitium misera mortalitas, ut veris falsa multa interdum misceantur.

Mi-

Miratur Theodorus Ryckius, in Animadversionibus ad Tacitum, aliquas Historicum hunc fugisse aliquando rerum circumstantias, quæ in loco, & in tempore, in medium productæ, verisimiliores res atque credibiliores effecissent. An iccirco vera non esse arbitrabimur quæ narrat ille Historicus? an totus, aut saltem in iis, in quibus adjecta nutant, erit fabulosus? Optime Thomas Reinesius ad Christophorum-Adamum Rupertum: *Quam vero Historiam mihi dabis, in qua narranda omnes consentiant, omnes dicant idem? Notavi in excellentissimis Scriptoribus tales dissensus circa particularia creberrimos; in Cicerone, Diodoro Siculo, Cornelio Nepote, Plinio, Plutarcho, Seneca, Pausania, Justino, Tertulliano, Augustino (Tacitum etiam huc refer confundentem testimonia Felicis) Athenæo, aliis; quos Variarum Libris posterioribus aliquando* σύρφακα ὅμιλον *producam. Ejusmodi si memoriæ lapsus dicas, egeris calidiuscule; narratur interdum ab aliquo aliquid falsi; sed innocente, eoque excusabili, quia is audita refert, interdum etiam* ἀκοὴν ἐξ ἀκοῆς. Quod si Historici ejusmodi circa particularia in circumstantiis errant aliquando, cur de Macrobio mirabimur, Scriptore non omnino diligente? Si, aliquorum imo in sententia, non in superioribus modo ac remotis Antiquitatibus, sed in rebus etiam Assamonæorum & Herodiadum, in ratione maxime temporum, lapsus est Flavius, cur

Epist. XXX.

 abs-

absque substantiæ rei, ut ita dicam, præjudicio confundere aliqua non potuerit Macrobius, magno & temporum, & locorum a rebus in Judæa perpetratis disjunctus intervallo? Ceterum nobiles haud desunt illustresque Scriptores, qui universa Macrobii verba illis cum factis optime componant; unde relate ad omnia quæ narrat, sincerus habeatur, & omnibus absolutus numeris Historicus. Noldius in Historia Idumæa, seu de Vita & Gestis Herodum in elaboratissima Diatribe, hæc scribit: *Si Macrobius statuit bimulos*
Num. LXXVIII. *simul interfectos cum Antipatro, utique hallucinatur. Sed nihil opus est hoc de Ipso suspicari, cum dicere possit bimulorum & Antipatri Herodis filii cædes, quod paucis tantum diebus differrent, uno tempore Romæ auditas, sed non uno factas. Unde illud Macrobii* Inter pueros &c. *possit exponi*, Præter Pueros. *Quomodo si quis diceret:* Cum audisset Lysimachus, inter Cognatos Alexandri, quos in Macedonia Cassander jusserat interfici, Matrem quoque Alexandri occisam &c. *non inferret necessario* hanc *cum* illis *eodem interfectam tempore, sed tantum, quod* simul illæ Cædes cognitæ, *aut quod sibi* proxime *contigerint*. Similem Noldianæ dedit Macrobii interpretationem Tillemontius scribens: *Il se pourroit bien faire*
Not. XIII. ad Vit. Christ. *qu' Auguste auroit appris a peu prés en mesme temps le Carnage des Enfans de Bethleem & la mort funeste, quoique juste d' Antipater fils aisnè d'He-*

*d'Herode: & l'*inter *de Macrobe, ne ſignifie peut-etre pas autre choſe. Antipater fut executè cinq jours avant la mort d'Herode, vers la fin de Mars; & le meurtre des Innocens ne peut avoir precedè au plus qu'environ ſix ſemaines.* Fuſius autem rem explicat noſter Graveſonus, qui recitato Ethnici Scriptoris teſtimonio hæc ſubjicit: *Ex Macrobii verbis infert Baronius filium Herodis bimulum inter Pueros Judæos Bethlehemitas fuiſſe a Patre occiſum. Verum id ex Macrobii teſtimonio colligi haud poſſe merito aſſerit Illuſtriſſimus Abrincenſis Epiſcopus Daniel Huetius Demonſtrationis Evangelicæ Propoſitione IX. Cap. 15. ubi oſtendit, Macrobium potius notare, ſeu indigitare voluiſſe Antipatrum Herodis filium, quem fugam a carcere meditantem Pater ipſius Herodes interfici juſſit, paulo antequam e vita migraret. Quam ob rem quando Macrobius ſcribit, Herodis filium inter Pueros Bethlemitas fuiſſe occiſum, id non eſt ſic intelligendum, quaſi ille Herodis filius fuerit unus ex his Pueris, ſed quod eodem circiter tempore quo Pueri illi interfecti ſunt, & hic quoque filius Herodis, ſeu Antipater è vivis fuerit ſublatus. Addo etiam, notum eſſe, omnibus Linguæ latinæ peritis, particulam* inter, *qua utitur Macrobius, dum ait,* inter Pueros &c. *tempus plerumque deſignare, non annumerationem; ſicut exempli gratia, dum dico:* hoc contigit mihi inter loquendum. *Sic Cicero Philippica II. ait*: inter cœnam hoc illli accidit, *hoc*

Tom. I. *De Myſter. & An. Chr.* Diſſert. VIII.

hoc est, tempore cœnæ, *ita pariter dum Macrobius ait*, inter occisos Pueros Bethlehemitas trucidatum fuisse Herodis filium, *id unum dumtaxat significat, quo tempore occisi sunt Pueri Bethlehemitæ, occisum itidem fuisse Antipatrum Regis Herodis filium, quamvis ex eorum Infantium bimulorum numero non esset Antipater, utpote qui jam ætate grandævus erat, & alia longe de causa, jussu Patris Herodis fuit ex hac vita sublatus.* Hæc ille. Claudat doctissimorum hoc Interpretum agmen alter Familiæ nostræ Vir Clarissimus, Thomas Vincentius Monelia, qui in elaboratissimo Opere de Annis Jesu Christi Servatoris, & de Religione utriusque Philippi Augustorum, Cædem Bethlehemiticam consignandam esse contendens Anno V. 751. circa Martii initium, paullo ante Herodis mortem, Herodis filium Sanctissimosque Innocentes eodem die sublatos esse contendit; etsi post multa penitiori ex Chronotaxi feliciter ac diligentissime deducta, tandem subjiciat: *Herode mandante facile eodem tempore tam* Cap. III. Nu. 22. *filius, quam insontes Pueri cæsi sunt, vel saltem sequenti die contigit eorum laniena: cito enim perferri poterant Bethlehemum, ac perfici Tyranni mandata, de quibus certiorem, cum ab aliis, tum vero maxime ab Herode redditum Augustum minime dubito; siquidem ex Augusti sententia fas illi fuit in filium perduellem animadvertere. Quod si quis pugnet pueros paullo ante Antipatrum necatos fuis-*

fuisse, dabo id lubens; adnotabitque Lector hypothesim, vel Chronographiam hanc nostram variarum sententiarum propugnatoribus usui esse posse, quod eam non ita facile reiiciendam esse demonstrat ...... Ceterum fallitur Grotius, dum confusas longe diversarum rerum narrationes duas a Cap.III. No.16. *Macrobio suspicatur, alteram de Infantium clade, alteram de Antipatro, jubente Patre interfecto. Rumor ad Augusti aures pervenerat utrumque in Syria, ob ejusdem Regis sævitiam simul fere evenisse; quid ni potuit non tam joco quam serio Herodis immanitatem perstringere, ob alterum tantum, quod ab humanitate magis abhorrere & atrocius videbatur, videlicet ob sublatum crudeliter eo tempore, non puerum, sed cum pueris filium Regnique hæredem: & memor necis Alexandri & Antigoni, Herodis pariter liberum, festive, ac vere dicere:* melius est Herodis porcum esse quam filium?

ridentem dicere verum

Quid prohibet?

At ne vocula quidem παιδοκτονίαν Augustus sugillavit. Fortasse id quoque doluit & est execratus; sed nonnulla verba quatuor consecutis seculis excidisse quid mirum? Neque ea Macrobius de jocis agens in loco laudasset nisi lepida admodum extitissent. Huetius in Demonstratione Evangelica Macrobium vindicat a Grotii paullo morosioris & iniquioris argutiis. Non est igitur dubitandum de fide tam locupletum testium, & operam vir celeberri-

mus

mus ludit, nodum in ſcirpo quærens. Ethnicus ergo Imperator, atque Ethnicus Scriptor Evangelicam Hiſtoriam tuentur: qui vero Macrobium reluctantem ad Chriſtiana caſtra nituntur perducere laterem lavant; cum ne veſtigium quidem veræ Religionis in ejus Operibus appareat, ſed omnia ſomniorum divinationibus ſuperſtitioſis, fabulis, ritibuſque Idololatrarum ſcateant. Tantorum igitur ſi Virorum ſententia, Macrobii teſtimonium idoneum momentum eſt ad Hiſtoriam a Matthæo traditam maxime confirmandam, jam non erit illa piam per fraudem primis ab Chriſtianis ſimulata ac ficta, jam non erit Evangeliſtæ in Textum perperam inducta. An arbitrari poterunt qui Scaligerum illam inficiatum induxere, aliquos etiam exorientis Eccleſiæ Chriſtianos Macrobii in textu fraudem admiſiſſe, piamque fabulam Ethnici in Opere Scriptoris de more facile intuliſſe?



CA-

CAPUT QUINTUM.

Vel ex Launojanis principiis certam haberi Puerorum de ſtrage Traditionem. Inane eſſe derivatum a ſilentio Flavii argumentum. Varia ejus de Operibus judicia; cum ſecundis æque ac adverſis ſtare Infanticidii veritatem.

BErnardus Lamius in eruditiſſimo Apparatu ſuo Biblico, ſive manuductione ad Scripturam Sacram, poſt Sixtum Senenſem, & Bellarminum, triplicem ſtatuens Sacrorum Librorum ordinem ſcribit: *In primo reponunt* (laudati videlicet Scriptores) *Libros de quorum authoritate nulla umquam fuit inter Catholicos homines diſceptatio. In ſecundo cenſentur ii, quorum non æque certa & explorata eſt authoritas*; quibus poſt pauca ſubdit: *In novo Teſtamento cenſentur ſecundi ordinis Marci Caput ultimum, Lucæ Hiſtoria de ſudore Chriſti ſanguineo, & apparitione Angeli, Johannis Hiſtoria de muliere adultera, Epiſtola ad Hebræos, Jacobi Epiſtola, Petri Epiſtola ſecunda & tertia, Judæ Epiſtola, Johannis Apocalypſis.* Hæcque diviſio ac doctrina adeo ſummo placuit Critico Johanni Clerico, ut de illa loquens, illius videlicet in Operis excerpto, etiam ſcripſerit: *On peut voir que la Controverſe des Catholi-*

Lib. II. Cap. 1.

Bibl. Univerſ. Tom VII. p. 208.

 ques

ques & des Proteſtants ſur ce ſujet, ne ſeroit pas fort difficile a accomoder, ſi l'on vouloit s'entendre. Quid revera non componeretur, ſi Diſputationis comes eſſet ſemper ingenuitas? Quum igitur Caput alterum Matthæi, in quo deſcripta Infantium Tragœdia, ſecundi ordinis haud dicatur eſſe, illarum nempe novi Teſtamenti partium, quarum non olim certa fuit & explorata omnibus auctoritas, conſequens eſt, omnes Capitis illius partes primo in ordine locandas, quarum de auctoritate, nulla unquam fuit, aut eſſe potuit in Eccleſia dubitatio; cum Sixti Senenſis, Bellarmini, Lamii, & Catholicorum omnium mente conveniente, uti videbamus, Scriptore Proteſtantium Principe, ceteriſque Proteſtantibus. Certam igitur habemus de integritate illius Capitis in Eccleſia Traditionem. Quod ſi veterum conſulimus Patrum illa de Infantium ſtrage teſtimonia, haud inde intelligo, quale apud Cordatos futurum ſit negativum adverſus eandem Scaligeræorum argumentum.

Launojus, qui præ ceteris argumenti inficiantis vim extendit maxime, atque propugnavit in Diſſertatione de auctoritate negantis argumenti, in qua illud in quæſtionibus ex facto, uſu, & traditione pendentibus, multum habere roboris demonſtrare conatur, totus eſt ut evincat: quum nullus omnino Scriptor æqualis, vel ſuppar, nullum prorſus Traditionis monumentum æquale

le, vel ſuppar alicui facto, quod memoria dignum fuit, præſtat teſtimonium, tunc ex eo generali ſilentio, quod ducentorum plus minus annorum æſtimari poteſt, efficax promi, ut de re dubitemus, argumentum. Maximos habuit hacce in re Adverſarios Launojus; multæ ad propugnandum Axioma neceſſariæ ſunt conditiones; multæ ſubjectæ ab Auctore ipſo Appendices; nos etiam diverſa verſari in ſententia aliis in Operibus ſatis palam fecimus. Hypothetice tamen Launojani eſſe volumus in præſens, ne ea tantum calere videamur, quæ, aliquorum in ſententia, pene obſoleta modo ſunt, quæque tunc ſolum obtinere debuiſſe autumant,

Quum laqueis captare feras, & fallere viſco
Inventum, & magnos canibus circumdare ſaltus.

Ecquis tamen, obſecro, imaginari adhuc pergat, Infantium Bethlehemiticorum Hiſtoriæ Launojanam convenire doctrinam, aut negativum Launojanis e principiis argumentum? Ut ut enim haud Matthæi fuerit Periocha Infanticidium deſcribens, Scriptoris tamen fuit, Scaligeræorum etiam opinione, vetuſtiſſimi, ad tempora videlicet piarum fraudum pertinentis, ducentis utique Infantium poſt ſtragem annis nondum exactis. Poſt Periochæ Auctorem, alium habemus vetuſtiſſimum, nempe Irenæum talia Bethlehemitico de Infanticidio verba facientem: *Propter hoc & Pueros eripiebat, qui erant in*

Lib. III. contr. Heref. Cap. 18. in N. Ed. 16.

Domo David, bene fortiti illo tempore nasci, ut eos præmitteret in suum Regnum, ipse Infans quum esset, Infantes hominum martyres parans propter Christum, qui in Bethlehem natus est Judæ, in Civitate David interfectos secundum Scripturas. Sequitur Origines scribens: *Vis tibi ostendam aliquos qui inter Pueros, idest, primo statim lacte coronati sunt? Respice beatum Danielem ...... Nam & illi Pueri num tibi videntur in puerili agone coronati, qui apud Bethlehem a bimatu & infra pro nomine Domini palmam cepere Martyrii?* Scriptor Homiliæ III. in Diversos apud eundem Origenem: *Irrumpentes itaque in Civitatem crudelissimi Hostes, feralia secum Præcepta portantes percutiebant Parvulos in manibus hærentes, miserorum Parentum .... De complexu igitur miserorum Patrum, alii plangentes raptu collidebantur in terram, hastisque & gladiis fundebantur.* Tertullianus: *Deinde Infantes testimonium Christi sanguine litarunt.* Quæ, uti recte monet hunc ad locum Rigaltius, eodem Sanctissimis de Innocentibus dicta sunt sensu, quo D. Augustinus ea, quæ subjicimus: *Habet & illa parva ætas magnum testimonii pondus, quæ prima pro Christo meruit sanguinem fundere.* Illa denique ex carnificina jure ac merito collegit S. Cyprianus, *neminem esse a periculo persecutionis immunem, quando & tales martyria fecerunt.* Omitto Patrum posteriorum testimonia: in hisce sisto, & ratiocinandi rationem ab

Homil. IV. in Psalm. XXXVI.

Lib. adv. Valentinian.

Lib. X. de Genese ad. Lit. Cap. 23.

Epist. LVI.

ab Scriptore derivabo ſumme Critico, Honorato nempe a S. Maria, ubi de teſtimonio agit, quod Joſephus Hiſtoricus dicitur de Chriſto protuliſſe, quodque ejus ſententia, *ſuivant la Tradition n'eſt pas ſuppoſè*. Sic enim ille: *On peut prouver l'authenticitè de ce paſſage : premierement, par le conſentiment unanime de tous les Exemplaires, ſoit manuſcrits ou imprimez qui ſont venus juſques a nous. Si cet endroit a etè ajoutè dez les premiers Siecles, comme on le ſuppoſe, il ſeroit difficile qu' Euſebe, Saint Jerome, & les autres Ecrivains Eccleſiaſtiques, qui les ont ſuivis, n'euſſent rencontrè quelqu'un de ces Exemplaires alterés. Saint Iſidore rapporte ce paſſage & le reconnoit pour authentique. Sozomene, Cedrenus, Nicephore, Suidas ont fait mention de ce temoignage dans leurs Hiſtoires. En ſecond lieu, ſi ces paroles n'avoient pas toujours etè dans les Livres de ce Juif, & qu'elles y fuſſent inſerèes après coup, Euſebe s'en ſeroit-il ſervi avec tant d'aſſurance contre, les Juifs & les Gentils, comme d'un paſſage inconteſtable, reçu de tout le monde pour etre veritablement de Joſeph? N'etoit-ce pas s'expoſer a la raillerie des Juifs, & de paſſer pour Impoſteur, que de citer un paſſage ſuppoſè. Troiſiement, ſe peut-on perſuader, que Saint Jerome n'ait pas connu la diverſitè des manuſcrits, & qu'il n'en eut aucun ſoupçon? Mais ſi ces deux Peres, auſſi bien que tous les autres Ecrivains Eccleſiaſtiques que nous avons citez, n'ont pas remar-*

Tom. III. *Reflex. ſur les Regles & ſur l'Uſage de la Critiq.* Lib. V Diſſ. 2.

què

què la ſuppoſition, on ne peut l'attribuer qu'a leur peu de lumieres: Puiſque celles de la Critique moderne decouvrent evidemment que ce temoignage eſt ſupposè, s'il en faut croire quelques Sçavans. Cet exemple peut aiſement convaincre de l'abus manifeſte que l'on fait de la Critique. Ces Auteurs anciens ont des Manuſcrits entre les mains, ils y trouvent ce paſſage, qui paſſe de main en main ſans alteration pendant treize, ou quatorze ſiecles, & aujourdhui on nous veut perſuader qu'il a etè fourrè après coup dans le Livre des Antiquitez. Jam vero ſi narratio Cædis Puerorum Evangelico Textui addita fuiſſet, difficile videretur admodum, Irenæum, Origenem, ac Homiliæ quem hic adducit Scriptorem, Tertullianum, Cyprianum, adde Euſebium denique, ac Hieronymum, ceteros qui deinceps floruere Scriptores, in aliquem haud corruptum incidiſſe Codicem. Qua enim illi confidentia Hiſtoriam illam in medium protuliſſent, perinde ac teſtatiſſima eſſent Evangelii verba, & tanquam ejuſmodi ab omnibus recepta? *Interfectos ſecundum Scripturas* ait Irenæus. Si ſecundum Scripturas Irenæi tempore, non ergo res illa aliquorum erat tantum narratio; non ergo Evangelicorum Codicum corruptio; ut enim etiam docet Criticorum Princeps Clericus: *Veteres, qui ætati Scriptoris propiores erant, merito ſtatuuntur uſi eſſe optimis Codicibus; nam qui cenſeri poſſunt emendatiſſimi Co-*

Art. Crit. P. III. Sect. II. Cap. 2.

Codices, nisi qui vivo Scriptore, aut minimum paullo post ejus tempora exarati? Nec enim Infanticidii Historiam a Nicolao Damasceno Patres Ecclesiæ hausisse dici possunt; nam, præterquamquod eam non retulit Damascenus, uti erit latius ostensum, etiamsi adhuc tamen retulisset, ejusmodi usos eos fuisse Scriptore, haud sinit nos credere idem Clericus, hæc adversus Ecclesiæ Patres scribens: *Herodis vitam habuerunt a Nicolao Damasceno conscriptam, ex qua annum natalem Christi colligere potuerunt; sed perinde fuit ac si non habuissent.* Itaque ex consentientibus tunc etiam temporis Codicibus, ex firma certaque Ecclesiarum omnium Traditione factum derivarunt. Quis autem sibi persuadeat, Sanctissimos illos & sapientissimos Ecclesiæ Patres non cognovisse MSS. varietatem, aut saltem de illa suspicionem nullam habuisse? Quis sibi persuadeat, certas Ipsos a popularibus ac incertis Traditionibus distinguere non valuisse? Imo discriminis illud est inter testimonium Josephi de Christo, & Matthæi testimonium de Infantibus, quod nonnulli adferantur Codices in quibus laudatum Josephi haud reperitur testimonium; accesseritque Patrum etiam eorum, qui adversus Judæos disputarunt, illo de testimonio silentium, Justini præsertim, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, Theodoreti. Matthæi testimonium ex opposito, in nullo dici potest desiderari Codice; nec

Epist. Critic. IV.

nec ab aliquibus tantum, ſed a vetuſtioribus celebratum eſt Patribus, quorum auctoritas certam procul dubio firmamque efficit Infanticidii Traditionem.

Fulgentiorem efficit hanc Patrum Traditionem Eccleſiarum omnium Bethlehemitica de Cæde conſenſio; eam enim memoravere vetuſtiſſima quotquot habemus Kalendaria omnia, ac Martyrologia; Kalendarium videlicet Carthaginienſe ab Ruinartio ad calcem Actorum Martyrum editum; Kalendarium vetus Romanum Frontonianum; Hieronymianum etiam, ſive Florentinianum Codicem conſpicias, ſive Antuerpienſem, ac cetera ejuſdem Exemplaria, quæ recentiores ſequuti ſunt Martyrologiorum Concinnatores. Heinc præconcepto ejuſmodi rerum ſtatu, ſive firmiſſima in præſens Narrationis traditione, jure ac merito ignores, majoris ne reos criminis Manichæos, Celſum Epicureum, Porphyrium, & Julianum Auguſtum poſtules, qui primi omnium Bethlehemiticam ſtragem inficiati ſunt, an potius Anabaptiſtas, ac Scaligeranorum Editores, quorum oculi vel in majori caligavere luce. Agens Janſenius Gandavenſis Vir Cl. de Hiſtoria Fœminæ adulteræ, quæ in plurimis Joannis Codicibus deſideratur, non in Syriaca Interpretatione certe adparet, non ab Græcis illuſtratur Exegeticis, Johanne præcipue Chryſoſtomo, plura in medium adfert ingenioſe exco-

gi-

gitata, quibus, vel in Codicum dissensu, genuinam esse illam Historiam evincat, & ita denique concludit: *Ut ut est; quamquam aliquando de Historiæ hujus firmitate dubitare licuerit, nunc tamen propter Ecclesiæ consensum dubitare non licet, sicut nec de Historia Susannæ.* Itaque etiamsi, ex hypothesi procul dubio falsa, aliquibus Infantium Cœdes haud fuisset olim Sacris in Codicibus; etiamsi aliquando de Infanticidii firmitate dubitare licuisset, haud liceret in præsens tamen, nec aut Scaligeri, aut Anabaptistarum licuisset tempore, obstante nempe unanimi Ecclesiarum omnium consensione. *Il ne faut jamais opposer des raisons de pure Critique a des Actes qui sont anciennes, & reçûs de tout le monde*, ajebat olim diligentissimus Simonius; & iterum: *On ne doit jamais combattre le consentement universel de toutes les Eglises, par des simples conjectures*. Hanc relinquamus tamen ratiocinandi rationem, quæ nullius apud Anabaptistas, nullius esset apud Scaligeræos ponderis; in Scriptore modo Periochæ, quisquis ille demum fuerit, in Irenæo ac Origene, in vetere quem hic adfert Scriptore momentum esse postulemus. Jam non habemus generale silentium, quod ducentorum plus minus annorum spatio æstimari possit; silentium non habemus, quo efficax depromi possit ut de re dubitemus argumentum. Imò quid illi, obsecro, Tragœdiæ Puerorum Traditioni, Patrum illorum

Conc. Cap. LXXVI.

Hist. Crit. N. T. P. III. Cap. 17.

Hist. Crit. N. T. P. III. Cap. 14.

rum ætate deerat, ut non certa, non indubia crederetur? Diversis temporibus, diversis jam conscripta fuerat in locis, a pluribus tradita fuerat doctissimis exploratæque fidei ac Sanctitatis Viris; Scriptores etiam illi, in sensu ac testimonio rei, quam ex Scripturis, exque certissima se accepisse perhibebant Traditione, conveniebant; omnes denique ad eandem rei originem, quæ veritatis caput est, ad Matthæi nempe testimonium, continua serie reducuntur. Nil amplius postulat Launojus in Dissertatione de Sulpitio Severo, ut res aliqua certissimæ veluti nixa Traditioni censeatur. Herodianum igitur Infanticidium nullo oppugnatur valido, & quod rem conficiat, silentio, nullo premitur inficiante peremptorio argumento; quod in omnium silentio Scriptorum, in privatione monumentorum omnium, Launojana etiam methodo, situm esse debet, semperque fuit, numquam autem alicujus tantum. Quod si Scaligeræus quis nullo habendam in pretio veram hanc, nempe primorum Patrum, duceret Traditionem, inscitiæ ne illum postulabimus, an potius pertinaciæ? Vapulavit olim, & vapulavit adeo Simonius, qui quum nutare aliquando sacrarum vellet integritatem Litterarum, adhuc tamen ad Traditiones confugiendum statuebat. Quid erit obsecro de illis existimandum, qui nullam integritatis ac consensus Sacrorum Codicum, nullam verarum etiam habent

bent, ac Traditionum veterum rationem?

Verum tandem aliquando de Flavii super Cæde Bethlehemitica silentio verba faciamus, quo omne Adversariis effugium præcludatur, illudque ipsum Historici silentium Historiæ Infanticidii obesse minus, demonstretur. Nemo sane est, qui tale silentium quum animadverterit, aut non damnaverit aperte, aut usitatum fassus haud fuerit id esse, frequensque Historici illius vitium. Casaubonus certe excusasse non videtur, qui de Cæde loquens Puerorum a Flavio prætermissa, *Miramur*, inquit, *inexcusabile silentium Josephi, qui de Infanticidio nihil dixit.* Exercit. II. adv. Baron. Daniel Huetius de Libro Judith loquens, hæc habet acutissime: *Nihil vero facimus argumentum, quod adversus Libri Judith, & Libri etiam Tobiæ dignitatem & auctoritatem ex Josephi silentio ducitur: nam & Jobi Historiam, & Bethlehemitarum Infantium cædem, aliaque prætermisit; & exiguam esse inficialis argumenti vim scitum est.* Propos. IV Demonstr. Evang. *Deinde vix alia retulisse Josephum videmus, quam quæ habebantur in Libris Canonicis* (intellige veteris Testamenti.) *Nam quamvis paucula quædam de suo alicubi asperserit, fecit id tamen præter institutum: profitetur quippe in Proœmio Archæologiæ, se eam ex Litteris Hebraicis translaturum.* Reum illius omissionis Flavium facit Clericus quum scribit: *Pour les faits dont Joseph a eté temoin, on l'en peut croire, lorsqu'on ne voit*

pas qu'il ait eu d'interet a deguiser la veritè, & qu' on n'a aucun Autoritè a lui opposer. Mais il est certain qu'il a supprimè bien des choses dans l'histoire de son temps, au moins du temps d'Herode le Grand; temoin le massacre des Enfans de Bethlehem, & l'etablissement de la Religion Chretienne dans la Judée, qui y avoit fait beaucoup plus de bruit, que plusieurs autres evenemens, dont il parle. Accusat & Historicum Judæorum negligentiæ relate ad Infanticidium Fabricius hæc scribens: *Si quis Josephi Antiquitates cum Sacris Litteris non indiligenter conferat, magna passim & hinc inde vix ferenda libertate vel negligentia usum deprehendet; nam non modo omittit complura, ut adoratum a Majoribus suis vitulum in Deserto: unde in quodam veteri Codice notatum ad marginem:* Παραλείπεις Ἰώσηπε τὴν μοσχοποιΐαν αἰδοῖ τῶν προγόνων. *teste Ed. Bernhardo p. 160. ad Joseph; ne dicam de Cæde Infantum Bethlehemiticorum, aliaque a Josepho prætermissa, vel secus tradita.* Gravesonus etiam: *Historia de Cæde Infantium bimulorum in dubium revocari non debet, etiamsi Josephus Antiquitatum Judaicarum Scriptor, eam infideli silentio presserit: constat enim Josephum, non solum multa ad res Judaicas pertinentia in veteri Testamento prætermisisse, verum etiam pauca admodum scripsisse de Christo Domino, & nonnulla contra veritatem Historiæ Evangelicæ dissimulasse.* Denique Vir doctissimus inter nostros Thomas Vincen-

Biblioth. Univer. *Extrait de la Defens. de quelque Theol. de Hollande &c.*

Biblioth. Græc. Lib. IV. Cap. IV. n. 4.

Lib. I. *De Myst. & Ann. Chr.* Dissert. VIII.

centius Monelia, in præstantissima Dissertatione de Annis Christi, hæc de illa Tragœdia a Flavio prætermissa: *Parvi refert Flavium Josephum vel præ oscitantia heic dormitasse, vel dolo malo* Cap. III. Num. 27.
lanienam tantam præteriisse: an propterea Evangelicæ Historiæ grandem dicam scripsit? an rerum gestarum fides idcirco nutat. Herodis crudelitatem cædesque insontium non prorsus tacuit: Timore pavidus erat & ad omnes suspiciones excitabatur, multosque innocentes metu, ne quem nocentium prætermitteret, in tormenta ducebat. *Lib. I. De Bell. cap.* 19. πολλοὺς τε τῶν οὐκ αἰτίων εἷλκεν εἰς Βασάνους, δεδοικὼς μή τινα τῶν αἰτίων παραλίπη. *Fac tamen hæc non scripsisse: quid illinc elicies? Obluctari Evangelicæ narrationi? Scilicet ex pumice aquam. Aliud de strage Bethlehemitica consilium ei fuerit; falsi ne idcirco Evangelisten postulaverit? Nonne satius foret Matthæo vetustiori Historico & candidiori, qui ne suas quidem labes siluit, Augusto Principi Maximo, & Macrobio Ethnico Viro longe eruditissimo, fidem adjungere? Hi Pueros Tyranno immanissimo jubente peremptos docent, Christiani veteres confirmant, Josephus nusquam inficiatur*. En quale profecto tulerint Scriptores Clarissimi de Josephi silentio super cæde Bethlehemitica Judicium. Quid tandem? Nonne ipse Scaliger, vel in Periocha ubi Infanticidium Evangelio adsutum contendit, hac ipsa utitur argumentandi ratione? Christianos celebre de Ser-

va-

vatore noſtro teſtimonium Flavio adſuiſſe adſerit; inde ſic interrogat: *Quel danger y eut-il eu que Joſeph n'euſt point fait mention de Jeſus Chriſt?* Nullum ſane. Quale igitur obſtaculum veritati Infanticidii, ſi nec de illo mentionem fecerit Joſephus?

Et ſane, ſi ex Flavii ſilentio pendere deberemus, in rebus quæ in Evangelio reperiuntur admittendis, aut vero rejiciendis, haud una profecto eſſet Infanticidium exprimens Periocha, quæ Evangelico e textu eſſet expungenda, & inter adſuta piam per fraudem enumeranda. Alias memorant Evangeliſtæ perpetratas in Judæa Cædes, de quibus altum in Scriptis Flavii ſilentium. Initium Capitis XIII. Evangelii Lucæ ita ſe habet: *Aderant autem quidam ipſo in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum.* Hiſtoriam autem hanc a Joſepho prætermiſſam non magis mirum ajunt Exegetici, quam Infanticidium Bethlehemiticum. Heinc plurimis ac quidem celeberrimis Scriptoribus ſolemne fuit, argumentum hocce e ſilentio Flavii derivatum, animadverſionibus ejuſmodi quammaxime enervare. Sic Sixtus Senenſis: *Si Joſephus*, inquit, *inter alias Herodis ſævitias hanc occiſorum Infantium crudelitatem non recenſuit, nihil id Chriſtianum Virum movere debet: præcipue cum ipſe Joſephus alia fere innumera multo etiam majo-*

joris momenti, multoque illustriora vel oblivione, vel incuria, vel potius malitia praeterierit, sicuti eum Egesippus pervetustus Historicus accusat, quod divinam Domini nostri Jesu Christi Ressurrectionem, ac pleraque ejus divina Opera, volens sciensque tacuerit. Domesticum Praeceptorem sequutus est Natalis Alexander, cujus pene exscripsit verba: *Etsi de hac caede*, inquit, *sileat Josephus, in dubium vocari sine impietate ac infidelitate non potest. Multa rerum Judaicarum in veteri Testamento scripta praetermisit, quibus propterea fidem abrogandam nemo dixerit, sive Christianus, sive Judaeus. Josephus verbo tantum Christi meminit, omnia quae a Christo, aut circa Christum gesta sunt, silentio praeteriit.* Ottius in Animadversionibus ad Flavium Josephum super Infanticidii silentio haec habet: *Scripsit Josephus quae in Annalibus Herodis, qui Herodis Annales si adhuc superessent, multa sciremus quae nunc ignota nocte sepulta jacent.* Ex quibus Ottium sentire videas, Flavium bene multa, quae Herodis in Gestis scripta fuerant, praetermisisse. Jam vero, si, Judice Scaligeranorum Editore, ob silentium Josephi, adsuta Evangelistae textui dicenda est Infanticidii narratio, eadem de caussa adjectus erit ille quoque Lucae locus de Galilaeis interfectis a Pilato, adjecta Evangelio erunt pleraque divina Christi Opera ac miracula, eruntque pias inter Christianorum fraudes recensenda. Quis hanc autem, obse-

Biblioth. Sanct. Lib. VII.

Commentar. ad Cap. II. Matth.

obſecro, ferre cordatus poteſt Evangeliorum in Codices lanienam?

Sed quid Evangelicis ajo de Codicibus? Adverſariorum ex principiis corruat neceſſum eſt eorum magna pars, quæ in vetere leguntur Teſtamento. Si enim ſiluiſſe Flavium de re aliqua apud Hebræorum Gentem univerſim cognita, idoneum haberi debet, ut confeſtim de eadem dubitari poſſit, argumentum; quot quantaque in dubium revocare neceſſe erit, quæ tamen pro compertiſſimis habuimus uſque adhuc, certoque exſtitiſſe ſcimus? Enumerat Vir diligentiſſimus Ottius, in ſuis ad Flavium Joſephum Animadverſionibus, omiſſa varia ab eodem Hiſtorico, vel nempe quod Ipſi non viderentur neceſſaria, vel quæ reticuit negligentia, aut amore Judæorum, vel odio Chriſtianorum, vel aliis parum nobis cognitis de cauſſis, de quibus poteſt ſuo quiſque pro genio judicare; etſi omnia pene ejuſmodi profecto ſint, ut ab Hiſtorico præteriri nulla ratione potuiſſe videantur, abſque graviſſimo in Leges Hiſtoricas delicto. Quanta vero, bone Deus, Petro Brinchio ſi fides, in Flavio turpiſſime errata! Quanta adverſus Simonium diſputans, contra ſinceritatem, contra Flavii diligentiam protulit Jacobus Baſnagius! Non uno certe in loco Hiſtorici fidem ſollicitat; hiſque Animadverſiones concludit ſuas in Epiſtolica Diſſertatione ad Paullum Bauldry; *Errat igitur ſæpius*

Exam. Hiſtor. & Chronol. Joſeph.

ſæpius Judaicus Scriptor, nec tanta debet apud nos eſſe illius auctoritas, ut velut Scriptori Sacro fides adbibeatur. Sed an ideo vacillat Scripturæ fides, ſi Joſephum veritatis veſtigia non ſatis accurate premere dicimus? Id concludit Præfationis Auctor; ſed quam inique? Quæ profecto rei qua de agimus egregie conveniunt, ac quadrant. Omittimus libenter quæ adverſus Flavii ſinceritatem in Geſtis Cæſarum animadvertit Tillemontius. Hucuſque expoſita ſufficere deberent. Itaque nil mirum profecto, Judaicarum hunc rerum Hiſtoricum in omiſſione Bethlehemiticæ etiam Cædis maxime erraſſe, eamque infideli preſſiſſe ſilentio, ac diſſimulaſſe; unde conſequatur facile, non rem ipſam falſam, abque Chriſtianis pia veluti arte Evangelico additam Textui fuiſſe; verum Flavium potius, in iis Poſteritati conſignandis, quæ reipſa Judæorum ab Regibus perpetrata ſunt, fuiſſe minus diligentem.

Poſſem hoc autem, res ſi poſceret, pro dignitate explicare ac extendere argumentum, quin idoneam minus Chriſtiani Noldii vererer Criticen, qui in Præfatione ad Hiſtoriam Idumæam, ſive ad Diatribam de Vita & Geſtis Herodum, queritur, Flavium, quamvis optime meritum, Judæos tamen juxta ac Pontificios, ut ait, perperam accuſaſſe. Priorum enim odium contraxiſſe ſuſpicatur, vel quod a Veſpaſianis vinctus, Imperium Cæſari prædixerat, penes Romanos

manſerit; vel quod ſcripſerit veritatem, Judæis ipſis imputans excidium, quod immorigeri & inſanabiles Romanis rerum Dominis ſe ſe quotidie opponere ſoliti fuiſſent. Pontificiis autem Joſephum haud dubie ſudem in oculis ſubjicit fuiſſe, quod Libro adverſus Apionem primo aſſeruerit, Judæorum Canonem ex duobus ſupra viginti Libris ſuo tempore conflatum, & ſub Rege Artaxerſe obſignatum, quo, ſubdit, Auctoris maximi apertiſſimo teſtimonio, quum excludantur Pontificii, quo minus Apocrypha poſſint ſua in Canonem intrudere, hoc agunt, ut Scriptoris optimi auctoritatem infringere, & fidem ejus valeant elevare. Heinc tot in eundem immeritas, ait, Baronii, Cani, Poſſevini, Salmeronis, Pererii, Pinedæ, Gordoni, & imprimis Saliani in Annalibus ortas injurias, longe alia exiſtente eruditorum principum de Flavio ſententia.

Verum fuit ne Pontificius Brinchius? fuit ne Pontificius Ottius, quem tot adeo ac tanta in Flavio errata notaſſe animadvertimus? Fuit ne Pontificius Uſſerius, qui tot adverſus eundem Epiſtola inter editas CCLXVII. acriter congeſſit? Fuere ne Pontificii Caſaubonus, & Ittingius, qui, ut ut Flavii Laudatores, ejus tamen inter errores omiſſionem Infanticidii recenſuere? Fuere ne Pontificii Vandalæus, Blondellus, Wotonus, Bochartus, Clericus, Bælius in Lexico ubi agit de Abimelecho, Fabricius, totque alii celeber-

Biblioth. Græc. Lib. IV. Cap. IV. n. 4.

berrimi Proteſtantes, quos idem enumerat? quique laudes inter ac elogia Flavio tributa, plurima adhuc cenſuram merita fuſe oſtenderunt; & adeo quidem multa, ut ejus denique de Scriptis jure dici poſſe videatur, quod neſcio quis Bambergenſi de Ædificio: *Je crois que pour rendre justice au Chateau de Bensberg, on peut dire, que c'est une belle & magnifique Maison, toute remplie de defauts.* Certe cum apud Catholicos, tum apud Proteſtantes etiam, & Accuſatores habuit, ac Defenſores Flavius; varia ejuſdem fuit, Operumque ipſius, apud utroſque fortuna; ſique fuit nuper apud Italos, qui Ottii, atque Brinchii criminationes adverſus Flavium renovavit, fuit ſtatim tamen, etiam apud Italos, qui Accuſatorem illum oppugnavit, uberrimaſque contexuit Flavii vindicias. Quæres fortaſſe, qua ſui demum utilitate? modica profecto. Quo plauſu? Pene omnium Bonorum.

Jam vero quum non Judæorum modo atque Catholicorum ſententia, uti perperam exiſtimavit Noldius, ſed doctiorum etiam teſtimonio Proteſtantium, certum evidenſque ſit, plurima Joſephum omiſiſſe, quorum mentionem faciendi data ipſi occaſio erat, quæque prætermitti non videbantur poſſe abſque apertiſſimo in leges hiſtoricas delicto; quum nonnulla noſtro reprehendantur tradita ab Hiſtorico ceu minus vera; haud pauca etiam notentur Moſis Hiſtoriæ oppi-

do adverſa, & cum Scriptoribus Hiſtoriæ Machabæorum minus convenientia; quum fides denique Joſephi haud ſemel, imò ſæpe ab Clarioribus etiam deſideretur Proteſtantibus, quis male nos adverſus Anabaptiſtas ac Scaligeranorum Editores argumentatos adfirmare audeat, fidenter ſtatuentes, haud ideo Herodiano de Infanticidio dubitandum, quod illud prætermiſerit Joſephus, ſed diligentiam ſatius Judæorum in Hiſtorico hac etiam in re deſiderandam? Quam recte ſcripſit profecto, qui ſtatuit, *cavendum a peccato nimis quam frequente, quo de eventibus ex imperfectiſſimis Hiſtoriis judicamus; quaſi omnia eſſent complexæ, quæ ad rationes & cauſſas eventuum pertinent!*

Cleric. Art. Critic. Part. II. Sect. II. Cap. I.

Obtrectatores tamen Flavii in præſens relinquamus, Scaligerique opinionem de Hiſtorico amplexi, meliora de Illo cogitemus. Fuerit *diligentiſſimus* Flavius, ut eum vocat Scaliger; fuerit, ut Ipſe ait, φιλαληθέστατος Scriptorum omnium; anne ſequitur, Hiſtoricum ejuſmodi neque minima aliqua in re, neque in apice ullo aut erraſſe, aut errare potuiſſe? Haud fuit hæc utique Caſauboni mens atque ſententia, qui poſtquam ad uſque aſtra Flavium evexerit, ac Ipſi detrahentem Baronium notaverit, ſubdit: *De iis non loquor, in quibus diſcedit Joſephus a Bibliis, in quo excuſari non poteſt*. Paucis vero interjectis, Hiſtoricum iterum plurimis laudibus donat, huma-

Praef. in Lib. de Emend. Tempor.

Exercit. XII. in Annal. Baron.

mani aliquid tamen Ipſum aliquando paſſum non negat: *Cujus Libros*, inquit, *niſi Providentia Dei ſingularis ad noſtra ſervaſſet tempora, in quantis rerum Judaicarum tenebris hodie verſaremur? quot fabulas, quot mendacia jubar Hiſtoriæ Joſephi diſcutit? At errat Joſephus interdum manifeſto. Sane: Homo enim erat.* Inter Joſephi vero Encomiaſtas exundantiorem nullum inveni M. Andrea Franckenbergero, qui Heroam adhuc tamen ſuum haud profecto falli neſcium exiſtimavit. Poſtquam enim infinita prope ejus in laudem emphatice conſcripſiſſet, hæc ſubdit: *Alicubi tamen ſe Traditione ſuorum decipi, delinquere, atque in errorem induci, neceſſariorumque præteritione in ejuſmodi Compendio Scripturæ Sacræ (quamquam rarius id accidit) labi exiſtimandus eſt. Neque vero iſtud in Opere tam magno, tamque arduo & prolixo mirum, ut ab imbecillitate humana alienum videri debeat, cum præſertim nemo ſit tam lynceus, qui in rebus divinis nihil offendat, nuſquam incurrat. Sed hanc ob cauſam nos minime decet inerti quadam confuſione vera omnia cum uno atque altero errato repudiare & abjicere.* Ratio vera hæc reapſe eſt illuſtrandi ſine partium ſtudio Scriptores veteres, quos etiam maximi facimus, atque veneramur. Quis enim Interpretem ferat, ea demum abſque pudore, non excuſare dicam, ſed aliquando laudare geſtientem, quæ Cenſura haud mediocri digna viderent-

Inſtitut. Antiquit. & Hiſt.

rentur? Taciti Enarratorem jure ac merito notant celebres quidam Scriptores, hocce in vitium nimio illius Historici studio delapsum. *Monsieur Ryckius*, ajunt illi, *remarque encore une autre coutume de Tacite, c'est d'omettre quelque fois une circostance considerable dans un endroit, ou elle deuroit etre, s'il avoit observè la suite naturelle de l'Histoire, & de la mettre plus bas. Son Commentateur croit qu'il n'en a usè ainsi, que pour varier, & pour exciter l'attention de son Lecteur. Ainsi en decrivant la guerre d'Otton & de Vitellius, dans le second Livre de ses Histoires, il ne marque point l'endroit ou l'armée de ce dernier étoit campée: mais on le trouve dans le Livre III. Ch. 26. ou il dit par occasion que c'etoit sous les murailles de Cremone. Henri Savil n'a pas manquè de reprendre cette omission de Tacite, & bien des gens se persuaderont sans peine qu'il a eu raison; Tacite, quoique d'ailleurs admirable, n'aïant pas etè au dessus du reste des hommes, pour ne commettre aucune faute, pas meme par inadvertence. Quoiqu'on ait raison d'admirer les Anciens, on ne doit pas canoniser les fautes, qu'ils peuvent avoir commises contre les regles inviolables du Bon Sens, seulement parce qu'ils ont veçu plusieurs siecles avant nous, ou qu'ils ont mille endroits admirables. Comme il est juste d'admirer ce qui le merite, il n'y a rien qui doive empecher de reconnoitre une faute dans un Auteur, qu'on ne sauroit d'ailleurs assez louër. Au reste*

Bibliot. Universelle 1687. T. V. p. 260.

reste c'est aux Critiques a juger si en decrivant une guerre comme celle d'Otton, & de Vitellius, il étoit permis de ne rien dire de l'endroit, ou étoit le camp de l'une des armées. Quod præpostero de Ryckii judicio docent hi Scriptores, dicere nos jure ac merito possumus de Adversariorum super diligentia Flavii judicio; aut de consequutionibus, quas ex judicio simili colligere conantur. Stabit igitur cum Josephi, ut ita dicam, veracitate, stabit cum perfectione Operum Ipsius, error aliqualis, aliqualis omissio, aliquod in re minima erratum stabit cum Infanticidii silentio; adeoque cum secundis æque, atque adversis Diversorum ejus de Operibus sententiis componi probe potest veritas Historiæ Cædis Bethlehemiticæ. Longe tamen ab hac adhuc sententia remur esse recedendum; ut ejus nempe inter nævos, easque quæ facile condonari solent negligentias, Bethlehemiticæ omissionem lanienæ numeremus; siquidem silentium imo Flavii hacce in re ita cum Historici diligentia ac sinceritate componi arbitramur posse, ut imo laudi eidem cedere ostendimus, ejusmodi factum suis in Scriptis silentio pressisse. Antequam id præstemus tamen, ea in examen vacat revocare, quæ ceteri, clarissimi licet, ac diligentissimi Scriptores, huic dum occurrerent silentio, tradidere.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Caussis silentii Josephi. Eorum Opinio qui Infanticidii omissionem in Nicolaum potius Damascenum, quam in Flavium Josephum, quem Pedissequum, seu Exscriptorem ejus & Breviatorem appellant, dicunt esse rejiciendam, refellitur luculenter.

CHristophorus Cellarius in Dissertatione, qua Flavii Josephi de Herodibus Historiam a νοθείας suspicione adversus Johannem Harduinum justis adserit vindiciis, Nummisque antiquis conciliat, hæc de caussa habet silentii Josephi in facto Cædis Bethlehemiticæ. *Superest* Num. XXXI. *quod Infantium cædem de industria præterierit, ne legisse Sacras Novi Testamenti Litteras videretur.* (quæ erat Harduini nescio an seria sententia, sub Flavii videlicet Josephi nomine Impostorem Proluf. Chronol. ac recentem Scriptorem latitare). *Miramur prætermissum esse tam belluinum crudelitatis exemplum: nec vero id satis putamus esse ad fraudem scribentis, quod Harduinus refert, evincendam. Fieri enim alia de causa potuit, & si qua culpa est, in Nicolaum Damascenum potius, quam in Josephum illa rejicienda. Iste enim haud dubie præteriit, quia vivente Herode scripsit, cujus amicus & Orator ad Augustum fuit; quem dum presse, uti non diffitetur, Josephus insequutus est; forte accidit, quod aliis*

aliis pluribus accidisse novimus, ut non dedita opera, sed partim memoriæ lapsu, partim tenaci præeuntis persecutione, detestabile facinus effugerit animum, memoriam, & manum scribentis. Eandem in originem rejecit Flavii silentium, in Nicolaum nempe Damascenum, etiam Lamius suo in Apparatu Chronologico ac Geographico ad Commentarium in Harmoniam quatuor Evangelistarum, in quo scribit: *Non mirum est, si* Part. I. Cap. IX. §. 1. *hujus Infanticidii mentionem non faciat Josephus, quod oportuit ignorasse, cum Litteris illud non mandasset Nicolaus Damascenus, ex cujus Commentariis texebat Herodis vitam. Crudelia facta Principis, quo cum amicitia junctus erat, non omnia memoriæ mandabat Damascenus*. Eandem confugit etiam ad caussam Calmetus in Commentario ad Caput alterum Matthæi. Gravesonus denique, post alia quæ in medium adfert illius silentii momenta, hæc subdit: *Mirum non est, si Josephus Infanticidium ab Herode editum silentio obvolverit:* Tract. De Myst. & Ann. Chr. Dissert. VIII. *exscripsit quippe ille Auctor Nicolaum Damascenum, qui, ut omnes probe norunt, laudes Herodis potius celebrandas susceperat, quam veram describendam vitæ bujus Principis Historiam: Talem fuisse Nicolai Damasceni genium perdocte observat Hugo Grotius in Epistola ad Pereskium. Cum igitur Nicolaus Damascenus silentio obvolverit Infanticidium, in quo Herodes culpari poterat, non est mirum, si Josephus illius Exscriptor illud ignoraverit.*

Ut quod mihi nunc videtur, candide tamen fatear, haud certe ſcio, an ita preſſe Nicolaum Damaſcenum, etiamſi voluiſſet, exſcribere potuiſſet adhuc Flavius, uti invicem ſe ſemet revera Scriptores hi exſcribunt, quod proculdubio minime feciſſent, ſi rem aliquale ſaltem in examen revocaſſent. Statuunt Ipſi, Nicolaum Damaſcenum fuiſſe Herodis amicum, & Ipſius ad Auguſtum Oratorem: crudelia facta Principis, & ipſius nomini indecora memoriæ mandare voluiſſe Damaſcenum negant; laudes Herodis potius celebrandas Ipſum ſuſcepiſſe ajunt, quam veram deſcribendam vitæ illius Principis Hiſtoriam: dein Herodis acta ex Damaſceni Commentariis Flavium texiſſe colligunt, eoſque preſſe ſequutum, nil exſcripſiſſe aliud Joſephum arbitrantur, quam in Nicolai Operibus ſcripta ac contenta; nec animadvertunt, Flavium ſive in Hiſtoriarum, ſive in Belli Judaici Libris, Herodem deſcripſiſſe ceu immaniſſimum ac crudeliorem ipſa barbarie Tyrannum. Unde, obſecro, ea quæ poſt Ottium, Noldium, alioſque ex Flavio retulimus, quæ belluam, inquam, illam omni peſte pejorem exprimunt, unde potuit trahere Joſephus? Si ex Nicolao Damaſceno; itaque crudelia facta Principis, & ipſius etiam nomini indecora memoriæ mandavit Damaſcenus: iccirco non laudes tantum Principis, ſed veram imo Ipſius conſcribendam ſuſcepit, ſævitiæ etiam

ac crudelitatis, Hiſtoriam. Si Amicus adhuc vero Herodis, & Orator ejus ad Auguſtum exiſtens (Deus avertat quod tales umquam nanciſcar amicos) ea ſuis in Commentariis Poſteritati de Herode tradidit, quæ refert, ac veluti Pediſſequus & Breviator dicitur exſcripſiſſe Flavius, cædes nempe, ſtrages, lanienas Ipſius juſſu factas, cur & non conſignaverit etiam Litteris Herodianum Infanticidium, quod minimum e malis eſſe viſum forſitan fuiſſet ab immaniſſimo Rege perpetratis? Quod ſi ex oppoſito facta illa barbara, & Herodis nomini indecora, haud potuit a Nicolao Damaſceno Flavius derivare; ſi Nicolaus revera Damaſcenus, ea modo, quæ famæ & honori Herodis conſulebant, memoriæ Poſterorum conſignavit: aliis igitur ex Commentariis ſuos Flavius concinnavit, non ex ſolis Damaſceni Scriptis, alioſque habuit in Hiſtoria Antiquitatum Idumæarum Duces, uberiora monumenta.

Apertiſſimum profecto mihi videre videor hujuſce rei argumentum, ubi Flavius Legatorum Populi Judaici accuſationem adverſus Herodem refert, ut a Cæſare videlicet impetrarent, ne Patris Regnum Archelaus auſpicaretur, ſed Romanorum Prætoribus univerſa potius gens ſubjiceretur. Inducuntur Populi Legati non ſe Regem dicentes, ſed Tyrannum pertuliſſe, omnium qui umquam Tyrannidem exercuerant, crudeliſſimum; multis quippe ab eo occiſis, talia

passos esse superstites, ut etiam mortuos beatos prædicarent. Nec solum subditorum corporibus quæstionem eum adhibuisse, sed & Civitatibus; nam suæ quidem Gentis plurimas dilaniasse, alienigenarum vero ornasse, & externis Populis Judææ sanguinem condonasse. Pro antiqua autem fœlicitate ac patriis Legibus, Gentem egestate implevisse simul & iniquitate. In summa, Judæos paucis quidem annis plures ab Herode illatas calamitates tolerasse, quam in omni ævo perpessi sunt Majores sui, postquam ex Babylone discesserint, & Xerse regnante in Patriam fuerint reversi. Attamen assuescendo dura pati & adversa, animos adeo demissos humilesque gerere, ut ultro eum pro Successore acciperent, sub quo acerbam servituri essent servitutem. Archelaum quippe, tanti Tyranni filium, Patre mortuo, Regem sine mora appellasse, & una cum eo mortem Herodis luxisse, simulque ut is succederet vota nuncupasse. Illum vero, quasi veritus esset, ne germanus Herodis filius non haberetur, Civium trium millium cæde, Regno prælusisse; & tot quidem victimas pro Regno immolasse, tot vero Cadaveribus in festo solemni Templum implevisse. Recte igitur eos, qui e tantis malis evasissent, aliquando ad calamitates suas respexisse, & belli lege cupere vulneribus excipiendis ora præbere, atque ab Romanis precari, ut Judææ reliquias misericordia dignarentur; & quod

71 Jos. Lib. II. de Bell. Jud.

ex

ex illis ſuperſit crudeliter eos lacerantibus non objicerent; ſed Regionem illorum Syriæ contributam a Præſidibus Romanis regi ſinerent; ita enim perſpicuum fore, Judæos quos nunc ſeditioſos eſſe, ac belli cupidos calumniantur, noſſe moderatum ferre imperium. Hæc apertiſſime Joſephus, eadem qui in XVII. Antiquitatum Libro memorat. Quid ille vero tandem, poſt fortem adeo ac vehementem adverſus Herodem Orationem? Hæc tantum: *Et hujuſmodi quidem petitione accuſationem clauſerunt Judæi: Quum autem contra ſurrexiſſet Nicolaus, quæ Regibus objecerant diluere perrexit, Gentem vero accuſabat, quod difficulter Imperio regeretur, atque ita a natura facta eſſet, ut ægre Regibus obſequium præſtaret: porroque Archelai propinquos, qui ad Accuſatores defecerant, criminis ſimulabat.* Ἰουδαῖοι μὲν οὖν ἐκ τῆς κατηγορίας κατέληξαν εἰς τὴν τοιαύτην ἀξίωσιν. ἀναςὰς δὲ Νικόλαος ἀπεδύσατο μὲν τὰς εἰς τοὺς Βασιλεῖς αἰτίας, κατηγόρει δὲ τοῦ ἔθνους τό τε δύσαρκτον, καὶ δυσπειθὲς φύσει πρὸς τοὺς Βασιλέας, συνδιέβαλλε δὲ καὶ τοὺς Ἀρχελάου συγγενεῖς, ὅσοι πρὸς τοὺς κατηγόρους ἀφειςήκεισαν. Nil in Herodis, uti vides, ſat idoneam, ac reſpondentem Accuſationi defenſionem; veteres tantum commemorat querelas. Hujuſmodi autem ſcribendi ratio, ſi recte & ſedato conſideretur animo, ab eo minime provenire potuit, qui ſolum diſſimulatorem facinorum Herodis habuit Nicolaum Damaſcenum, quem ſequeretur. Fieri quî enim po-

potuit, ut integra Accusatorum prostet apud Damascenum Oratio, vix indicata verbulo Defensoris Persona, nullis quales ab Amico peti & expectari poterant, vindiciis Posteritati consignatis? Non igitur Damascenum modo exscripsit Josephus, sed aliis usus est etiam monumentis, quibus Herodis Acta concinnaret.

Sed quid tempus ratiocinio terimus, quum præsto sit ipsius Flavii adversus Nicolaum Damascenum, dum hic in gratiam Herodis falsa scripsit, testimonium? Quo enim jure quis existimare valeat, Flavium Historias contexentem Judaicas, Nicolai Damasceni Commentarios pecuino fuisse ritu, & absque examine sequutum, quum prior alterius erga Judæorum Regem assentationem aperte adeo arguat & oppugnet? Scripserat Damascenus, Antipatrum Herodis Patrem genus suum ἐκ πρώτων Ἰουδαίων, ex Antiquissimis Judæis deduxisse, ex iis nempe, qui in Judæam Babylonica e captivitate venerant, non ex adscriptitiis vero Civibus, qui contempti fere semper, & exosi iis esse solent, qui ab primis generis Auctoribus ortos se se in Rebuspublicis solent jactitare. Inficiatus hoc autem statim fuit acriter & apertissime Josephus, caussamque addidit erroris Damasceni, satius dicam doli, quod scilicet assentatoris instar, ac in gratiam Herodis ejus filii, quem fortuna Judæorum ad Regnum evexerat, fuisset mentitus:

ταῦτα

ταῦτα δὲ λέγει χαριζάμενος Ἡρώδῃ τῷ παιδὶ αὐτοῦ Βασιλεῖ τῶν Ἰουδαίων. Non ergo tenaci præeuntis persecutione, ceu merus Breviator ac Pedissequus, Nicolaum Josephus exscripsit, non universa silentii cædis Bethlehemiticæ culpa, si quæ est, in Nicolaum rejicienda; nec assentatio Damasceni efficere inde potuisset, ut Infanticidium Herodis jussu perpetratum silentio infideli premere perrexisset Josephus, si stragis illius narratio aliquem Antiquitatum in Libris locum ex Historiæ legibus habere debuisset.

CAPUT SEPTIMUM.

Pluribus validissimisque momentis altera eorum oppugnatur Opinio, qui Cædis Infantium omissionem ortam adserunt, quod Flavius in universa Historia cavisset sua, ne Romani mentem adverterent ad Oracula de Messia, & expectationem illam Judæorum.

Aliam suspicatus est ejusdem silentii caussam Lamius in Apparatu Chronologico ac Geographico ad Commentarium in Harmoniam quatuor Evangelistarum, scribens: *Etiamsi Infanticidium non ignorasset Josephus, forsan reticuisset: Herodes enim Infanticida fuit, ne Messias regnaret; a quo se in libertatem asserendos Gentium jugo excusso sperabant Judæi. Josephus autem* Part.I.Cap.IX. §. 1.

autem videtur in tota Historia sua cavere, ne Romani mentem adverterent ad illam spem Judæorum. Ego vero, ut quod res est fatear, certissime ignoro, an aliquid dici umquam possit a veritate alienum magis. Quis enim primum haud videat, eo loci atque temporis, ea vigescente misera Gentis suæ conditione, ea Romanorum stante fortuna Commentarios scripsisse suos Judæorum Historicum, ut levissimi eum fuisse animi credendum foret, aliquam si timuisset ex Opinionibus Judæorum revelatis ingerere victoribus suspicionem? Et sane, quam abjecte sentirent illo de Populo Quirites, ostendit Tullius de Judæa loquens victa quidem ab Pompejo ac vectigali reddita, nondum tamen in formam Provinciæ redacta. *Quam cara*, inquit Tullius Oratione pro Flacco, *illa gens Diis immortalibus esset* (maxima Hostium apud Quirites timendorum ratio) *docuit quod est victa, quod enervata*. Si dum adhuc quasi libera, suisque relicta legibus, nil tamen posse a Romanis Judæa credebatur; quid posse credita fuisset, uti Josephi erat tempore, serva facta & elocata? Reapse Cerialem in Concione ad Milites Hierosolymam obsidentes, *veterem* memorasse legimus *Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias: ut perfidum, ignavum, victum hostem in æternum exscinderent. Ultione magis quam prælio opus esse.* Titum inducit Josephus suos in murum ut ascende-

Tacit. Lib. Histor. V.

derent hisce etiam inter cetera concitantem verbis: *Quo pacto non turpe videatur, Judæos quidem, quibus non magno pudori est vinci, qui servire didicerint, ne in posterum id patiantur, mortem contemnere, atque in nos medios frequenter excurrere, non victoriæ spe, sed ad levem virtutis ostentationem: nos autem totius pene terræ marisque victores, quibus etiam non vincere probro habetur, otiosos sedentes, ne semel quidem in Hostes aliquid audaciter expertos, famem & fortunam illis adversam cum ejusmodi armis operiri, idque cum parvo discrimine totum efficere possitis?* Πῶς δ' οὐκ αἰσχρόν, Ἰουδαίους μὲν οἷς πολλὴν αἰσχύνην οὐ φέρει τὸ λείπεσθαι μαθοῦσι δουλεύειν, ὑπὲρ τοῦ μηκέτι τοῦτο πάσχειν θανάτου καταφρονεῖν, καὶ πολλάκις εἰς μέσους ἡμᾶς ἐκτρέχειν, οὐκ ἐλπίδι τοῦ κρατήσειν, ἀλλὰ διὰ ψιλὴν ἐπίδειξιν ἀνδρείας. ἡμᾶς δὲ τοὺς γῆς ὀλίγου δεῖν ἁπάσης καὶ θαλάσσης κρατοῦντας, οἷς καὶ τὸ μὴ νικᾶν ὄνειδος, μηδὲ ἅπαξ εἰς τοὺς πολεμίους παραβάλλεσθαι, περιμένειν δὲ τὸν λιμὸν κατ' αὐτῶν καὶ τὴν τύχην ἀργοὺς καθεζομένους μετὰ τοιούτων ὅπλων, καὶ ταῦτα δι' ὀλίγου τοῦ παραβόλου τὸ πᾶν κατορθῶσαι δυναμένους. Lib. I. De Bell. Jud. Cap. I. Fuse hæc commentatus videtur elegantissimus Scriptor, qui sub Egesippi nomine Hierosolymitanum ex Lib. III. Cap. 21. Flavio descripsit Excidium. Majore contemptu, Lib. De Bell. Judaic. VI. Cap. 6. Flavio si fides, Proceribus Judæorum loquutus est Titus. Profecto si non ea ipsa, quæ refert, Titi fuere verba, inficiari haud tamen possumus, hujusmodi fuisse Romanorum, falsos licet fortasse, Judaica de inertia sensus, nec illa unquam

de Gente, nisi contemptissime judicasse. Quamvis enim ab aliquibus Criticis notatus Josephus fuerit, ceu Historiographi licentia abusus in Concionibus repræsentandis; nec veram idoneamque loquentis aliquando induerit Personam; in negotio tamen suorum gloriæ prorsus adverso, juxta rei exigentiam loquutum Ipsum fuisse valde proclive est. Vix certe Gentem olim invenias de se altius cogitantem, Gente Romanorum; quorum omnem vitam militiam esse, quarum etiam fœminas ceterarum Viris Gentium gloriabatur Mamertinus esse fortiores. Itaque si hi de semetipsis, hi si suismet de viribus, hi denique si rerum Judaicarum de angustiis erant Romanorum sensus, si, Flavio teste, uti suarum Romani virium maximi æstimatores erant, ita, vel ante Excidium, contemptores erant maximi Gentis Judæorum, quo eos, obsecro, loco habere debuerunt tempore, quo Flavius scribebat? Non igitur aliqua in Ipso cura concipi jure potest, ne Victores jam facti Romani, mentem ad Oracula adverterent, aut ad spem illam Judæorum, qua Messiam expectabant, unde Herodianum prætermitteret Infanticidium.

Genetliac. Maximian. Aug.

Sed & mentem jam advertisse Romanos ad spem illam, qua se, jugo Gentium excusso, libertatem indepturos sperabant Judæi, illamque irridere solitos expectationem, Oracula de Victoribus imo Judæorum Gentis, suismet videlicet de

Im-

Imperatoribus interpretatos, fidem faciunt apertiſſimam, ea quæ apud Suetonium ſcripta legimus ac Tacitum, quorum prior hæc in Vita Veſpaſiani: *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu poſtea prædictum patuit, Judæi ad ſe trahentes rebellarunt; cæſoque Præpoſito Legatum inſuper Syriæ Conſularem ſuppetias ferentem rapta aquila fugaverunt.* Tacitus hæc iiſdem pene verbis exprimit: *Pluribus perſuaſio inerat, eo ipſo* (Obſidionis videlicet Hieroſolymorum) *tempore, fore ut valeſceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur, quæ ambages Veſpaſianum ac Titum prædixerant. Sed Vulgus, more humanæ cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adverſis quidem in vera mutabantur.* Lib. Hiſtor. V. Cap. 13.
In hac autem Romanorum, ita ut dicam, perſuaſione, illis vigeſcentibus apud Romanos de Opinionibus ac Oraculis Judæorum interpretationibus, ecquid Meſſiæ adventui timeſcendo credendoque apud eoſdem profuiſſet, Infantes nonnullos ad ſeditionem aliquam in Judæa præfocandam Bethlehemæ fuiſſe olim ab Herode trucidatos? Erraſſe tamen Lamium eam de Flavii ſilentio ſuſpicatum originem aut cauſſam, nemo ipſa evincit magis Flavii Hiſtoria, agendique ratione, qui abeſt adeo, ut in Scriptis caviſſe ſategerit ſuis, ne Romani mentem adverterent ad

N 2 ſpem

ſpem illam & expectationem Judæorum, ut potius diſertiſſime in Hiſtoria demonſtrare perrexerit ſua, Judæos eo ſeculo, imperantibus nempe Nerone, Veſpaſiano, ac Tito, in ſeditiones ac bella fuiſſe maxime proclives, quod antiquis futurum ſponderetur Vaticiniis, ipſamet ætate illa, Judaica aliquem e Gente Orbi imperaturum univerſo: tametſi illa cum eventu, uti male interpretabantur, conjuncta haud fuiſſe, ſat ſcirent Victores Judæorum Romani; aut cum eventu conjuncta reapſe ſubjiceret Joſephus, ea tamen lege ac mente, ea profecto interpretatione, ut illis de Vaticiniis ſuperbire potius Romani debuiſſent, quum ſuorum in gloriam Imperatorum ea vertiſſet etiam Flavius. Sic ille quippe: Τὸ δὲ ἐπάραν αὐτοὺς μάλιστα πρὸς τὸν πόλεμον, ἦν Χρησμὸς ἀμφίβολος ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένος γράμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, ἀπὸ τῆς χώρας τὶς αὐτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης. τοῦτο οἱ μὲν ὡς οἰκεῖον ἐξέλαβον, καὶ πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν. ἐδήλου δ᾽ ἄρα περὶ τὴν Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. *Sed quod maxime eos ad bellum excitaverat, Vaticinium erat ambiguum in Sacris Libris repertum, illis circiter temporibus quemdam ex ipſorum finibus profectum Orbis terrarum Imperio potiturum. Id enim illi quidem quaſi ſibi proprium acceperunt, multique Sapientes ejus interpretatione decepti ſunt. Significabat nempe Oraculum Veſpaſiani Principatum, qui in Judæa declaratus eſt Imperator.* Illo de

Lib. De Bell. Jud. VI. Cap. 5. ed. n.

de Oraculo, illa de Judæorum opinione dixit etiam Pseudo-Egesippus, qui sua omnia e Flavii Libris derivavit. *Inter quæ*, inquit, *illud præcellentissimum, quod in Literis æque vetustis quas sacras vocabant, manebat impressum, quod secundum illud tempus futurus esset vir, qui de regione eorum Imperium assumeret in Orbem terrarum. Quæ res eos in tanto furore posuit, ut sibi non solum libertatem, sed etiam Regnum pollicerentur.* Alia igitur incedendum via procul dubio videtur; ut efficacior ac æquior παιδοκτονίας silentio ab Josepho pressæ ratio in medium adducatur. Lib. V. Ext. Hæros. Cap. 44.

Haud possum tamen, quin antequam Institutum progrediar, animadversionem aliquam hic intexem, qua timore ac caussa Romanorum Flavium cædem haud omittere debuisse Bethlehemiticam evidentius dignoscamus. Casaubonus ad laudatum Svetonii testimonium suis in Animadversionibus hæc subjicit: *Videntur & Tacitus, & Svetonius, qui verbis iisdem hoc Oraculum referunt, ipsa verba expressisse, quibus id conceptum: in quibus apparent vestigia veritatis, & ejus Vaticinii, unde istud manavit. Scriptum enim in Sacris Litteris*, ἐκ σοῦ ἐξελεύσεται ὁ ἡγούμενος. Ex te exiet Dux. In Exercitatione vero I. adversus Annales Baronii idem Scriptor hæc habet: *Observabamus ad Svetonium, Josephum & alios ejus temporis Judæos, qui existimarunt Imperium Vespasiani in sacra pagina fuisse prædictum, videri respexis-*

pexisse ad Prophetiam, quæ habetur Michææ Cap. V. ἐκ σοῦ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅςις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. Ex te egredietur Dux qui regat Populum meum Israel. *Pertinet quidem hæc Prædictio ad Christum, ut docet Matthæus Cap. II.; & quia sequitur apud Michæam, istum qui egressurus erat e Judæa dominationem suam usque ad ultimos terræ fines producturum; videntur & Josephus, & alii existimasse, hoc Oraculum non solum ad Regem Messiam pertinere, verum etiam ad Imperatorem Vespasianum. Hic enim est mos Scripturarum, ut quæ de Messia leguntur edita Vaticinia, de Davide, vel Salomone, vel aliquo alio intellectu primo ac literali, qui est fundamentum omnis & legitimæ interpretationis, sint exponenda, de Christo vero secundario, ac sæpe allegorico, vel anagogico. Adjuvat conjecturam nostram vox* ἅμα simul, *qua ibi utitur Josephus. Locus est Libro Belli Judaici sexto:* ἐδήλου δὲ ἅμα τὴν περὶ Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. Simul hoc Oraculum significabat Vespasiani Principatum, qui in Judæa declaratus est Imperator. *Quid est* simul? *nisi quod obscure videtur innuere hoc Vaticinium habere & aliam magis arcanam significationem? Sed nolo dissimulare, suspicari me ita potius scripsisse Josephum,* ἐδήλου δ' ἄρα nempe significavit Oraculum. *Periti sermonis græci agnoscent familiarem Herodoto, & aliis Historicis hæc in re locutionem.* Casaubonus hucusque;

que; cujus equidem ſuſpicio veritati ſi accederet, Joſephum tunc ſcilicet ad Michææ Vaticinium reſpexiſſe, mirarer ego potius quam maxime, cur idem Hiſtoricus, Romanorum in gratiam, Herodianum late non expreſſerit Infanticidium; erat enim ille, ſi quis alius, idoneus & ad rem omnino locus, & ſe ſe tunc aptiſſima Ipſi obtulerat occaſio, qua Victoribus gratificaretur ſuis, & Prophetæ verba ad Cæſares referret. Narrat, uti notiſſimum, Matthæus, Herodem auditis Orientalibus, qui natum Puerum quærebant, congregaſſe Sacerdotes atque Scribas, & ſciſcitatum ab eis fuiſſe locum ubi Chriſtus naſceretur. Regeſſere illi in Bethlehem Judæ, producto in medium Michææ Vaticinio: Inde neces Puerorum Bethlehemiticis in finibus ſequutas. Itaque ſi Vaticinium illud de Veſpaſiano intelligendum exiſtimavit Flavius, narrationem facti non omittere profecto, Romanorum cauſſa, ſed explicare potius, & univerſam conſequenter enarrare Hiſtoriam debuiſſet; potuiſſet enim narrationi addere quod abſque narratione tradidit; deceptos videlicet tunc fuiſſe Sacerdotes atque Scribas interpretationem illam Herodi ſuggerentes, cujus cauſſa innocentes Pueri Bethlehemæ perierunt; ſignificaſſe quippe Oraculum, Veſpaſiani Principatum, qui in Judæa declaratus Imperator, ſuper Orbem regnaturus erat univerſum. Ceterum, vix credi po-
teſt

test quod suspicatur hoc Casaubonus in loco; nempe cum Flavium, tum Svetonium etiam atque Tacitum, adludere voluisse ad Michææ Vaticinium. Vir Cl. Fabricius, testimonio Taciti relato, hæc subdit: *Ex his verbis perspicuum videtur, respici non carmen Sibyllinum, sed dictum Propheticum, & quidem non Michæ V., ut putat Casaubonus; nulla enim ibi temporis nota occurrit, sed potius Genesis XLIX. de Shilo post sublatum Judæis sceptrum venturo.* Ego, aut fortasse fallor, magis distincte esse differendum statuo. Flavium respexisse tunc ad Jacobæum potius Vaticinium credibilius est; ast Svetonium atque Tacitum, qui nec veteres Hebræorum, nec Josephi Commentarios procul dubio viderant ac legerant, ad determinatam aliquam adlusisse Prophetiam dicendum non est. Sensus igitur illorum videtur Historicorum: Percrebuisse apud Judæos cum in Palæstina degentes, tum alias etiam per Orientis regiones undique distractos, opinionem, quam ex vetustis hauserant Sacerdotum suorum Libris, fore ut ætate illa eorum aliquis per Orbem regnaret universum. Hujus rei famam ex ipsissimet se se ubique jactitantibus Judæis hauserant Romani (Messiæ quippe adventus non uno ex Oraculo tum imminebat, singulisque diebus expectabatur) eaque fama Romæ etiam diffusa, vel Ethnicos impulerat Histori cos, ut aliquam de eadem facerent mentionem.

Tom. I. Bibl. Græc. Cap. 30.

Li-

Licet autem erraverit Caſaubonus in Hiſtoricorum interpretanda mente relate ad alluſionem, aut verius ad locum & Oraculum, ad quod eos alludere credebat; recte conjecit tamen in emendatione Textus Flavii excogitanda, vocem ἅμα *ſimul*, voci ἄρα ſubſtituendam docens. Eam textus emendationem probavit Havercampus in Editione ſua celeberrima Joſephi, pluribus maxime optimæ notæ MSS. Codicibus innixam. Ita reapſe Scriptorem legit illum veterem qui Flavii utique ex Scriptis ſub Egeſippi nomine Hieroſolymitani Hiſtoriam excidii exſcripſit; ea enim ratione, Scaligeri judicio, hujuſmodi Scriptor in pretio habendus eſt, quod Græcum legerit Joſephum. Scaliger.p.433. Edit. Colon. 1695. Itaque poſt jam laudata verba de prodigiis, inter quæ præcellentiſſimum illud fuiſſe ait, quo ſacris & vetuſtis ex Literis futurum ſpondentibus, e regionibus illis Virum ſuper Orbem terrarum imperaturum, eo adacti furore erant, ut ſibi Libertatem non ſolum, ſed Regnum etiam Judæi pollicerentur: *Id alii*, ſubjicit, *ad Veſpaſianum ſubdendum eſſe putarunt, prudentiores ad Dominum Jeſum, qui coram in terris ſecundum carnem genitus ex Maria Virgine, regnum ſuum per univerſa terrarum ſpatia diffudit*. Lib.V.Cap.44. Quantus autem, in prima Hiſtoriæ Criticæ Novi Teſtamenti parte, fuit doctiſſimus Simonius, ut de duplici ejuſmodi apud vetuſtiſſimos Hebræos Scripturarum intellectu fidem fa-

ceret. Quanti fuere, ut duplicem illum obtinuisse apud Judæos olim Oraculorum sensum, post Casaubonum, & ante Simonium, ostenderent Ludovicus Cappellus, atque Grotius, & passim inde Clericus! Nonne & relate vetustiores ad Hebræos eadem fuit in sententia Lamius ipse in Biblico Adparatu? Ea igitur mente nobis videtur & Flavius scripsisse; cur enim Vaticinium illud *ambiguum* appellasset? cur Judæos dilaudasset, quod illud *quasi sibi proprium* accepissent? Nisi *simul* & Vespasianum, & Messiam portendere potuisse credidisset? Quod si Flavius in ea versatus est sententia, ut quæ de Messia veteribus in Scriptis edita erant Vaticinia, de ceteris etiam interpretari jure posse crederet, quid, quæso, prohibere poterat, ne ea omnia quæ ad Messiam pertinere videbantur Oracula atque facta, Cædem quoque Bethlehemiticam apertissime narraret, quin suam Romani mentem ad Messiæ res converterent; quum *simul* ea portendisse potuisset dicere; quæ Romani gloriam nominis quam maxime amplificabant? Haud igitur senserunt illi recte, qui ex quo Herodes Infanticida fuit, ne Messias denique regnaret; ex quo se a Messia in libertatem asserendos, Gentium jugo excusso, Judæi expectabant, inde consequi perperam arbitrati sunt, Flavium consulto cædem omisisse Bethlehemiticam, ne Romani mentem adverterent ad spem illam & expectationem Judæorum.

Comment. in Isai.
Comment. in Cap. I. Matth.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

Scriptoris opinio de caussa silentii Josephi; necesse videlicet haud fuisse, Flavium factum illud memorasse, nec postulasse ejus Institutum, aut sinere Historicas potuisse Leges, Ipsum rem tantulam Historiæ generalis Actis atque monumentis immiscere. Exiguum nempe fuisse dicimus, loci ac temporis habita ratione, Interfectorum numerum. Infanticidii denique narrationem Christianas potius ad res, quam ad Judaicas spectasse. Quæ omnia Clarissimorum testimoniis Scriptorum, aliisque illustrantur argumentis.

QUi Flaviani silentii caussas a ceteris hucusque in medium productas minime probavimus, Scaligerum haud tamen imitabimur (ita nos loqui cogunt Scaligeranorum Editores) qui una Textus sacri litura rem totam expediit. Nos enim ex opposito silentium illud cædis Bethlehemiticæ ita cum Flavii sinceritate ac diligentia componi posse remur, ut imo laudi eidem cedere velimus, ejusmodi factum idoneo suis in Scriptis silentio pressisse. Reapse, non erravit utique Josephus, qui Herodianum Infanticidium, ubi nulla necessitas illud scribendi erat, haud scripsit; sed ex opposito maxime Scaligerani errant, narrationem illam, ubi inveniri non debebat, inquirentes; prætermissoque Historiarum Flavii fine, & materia, &

charactere, rem tantulam ab summo, ab generali Historico pensitandam arbitrati sunt. Qua equidem in re, quis dubitet, homines ejusmodi agere Grammaticos ac pene Pædagogos, non Criticos, non Viros summos, quales videri volunt, non homines rei ingenium meditari aptos? Quam recte, quam ad rem elegantissimus Scriptor Gallus, ubi ait: *J'ai vû depuis quelques années un grand nombre de Critiques, & peu de bons Juges. Or je n'aime pas ces gens doctes, qui employent toute leur etude a restituer un passage, dont la restitution ne nous plait en rien. Ils font un mystere de sçavoir ce qu'on pourroit bien ignorer, & n'entendent pas ce qui merite veritablement d'etre entendu. Pour ne rien sentir, pour ne rien penser delicatement, ils ne peuvent entrer dans la delicatesse du sentiment, ni dans la finesse de la pensée. Ils reüssissent a expliquer un Grammairien; ce Grammairien s'appliquoit a leur meme Esprit: mais ils ne prendront jamai celui d'un honette homme des Anciens, car le leur y est tout-a-fait contraire. Dans les Histoires, ils ne conoissent ni les hommes, ni les affaires; ils rapportent tout a la Chronologie, & pour pouvoir dir quelle année est mort un Consul, ils negligeront de connoitre son genie, & d'apprendre ce qui s'est fait sous son Consulat. Ciceron ne sera jamais pour eux qu'un faiseur d'Oraisons, Cesar qu'un faiseur de Commentaires. Le Consul, le General leur echappent: le genie qui anime*

S. Evremond Tom. III. Edit. Lond. pag. 21.

me leurs Ourages, n'est point apperçû; & les choses essentielles qu'on y traite ne sont point connües. Res ita se habet in Scaligeranorum Editoribus. Opera maxima Josephi volunt illi Scaligerum præsenti in Quæstione ad Chronologiam retulisse, Josephum veluti Chronologum existimantes; quumque Infanticidium ab Ipso adnotatum non animadverterint, statim actum existimarunt de veritate Infanticidii. Ignorare poterant ne illi, qui finis fuerit Josepho in conscribendis Antiquitatum Judaicarum Libris, ac Judaici Belli Commentariis? Nonne in Procemiis eorundem quæ fuerit mens Auctoris prostat? Judaicis quidem in Originibus Pontificis Eleazari Institutum, & Septuaginta duorum Interpretum apud Ptolemæum Philadelphum, æmulari se ac imitari constituisse ait, ut quæ Hebraicis in Voluminibus continebantur, peregrinam in Linguam, & tunc omnibus fere notam transfunderet, atque eo pacto Gentis suæ generalem Historiam, multorumque memoriam sæculorum Posteris conservaret. In Libris autem Judaico de Bello, Historiæ inde initium auspicatus ubi Sacri Scriptores ac Prophetæ desierunt, ea quidem quæ ad bellum attinebant suo tempore gestum, uberius ac fusius sumit referenda. Quem autem, obsecro, cum eximiis ac generalibus Gentis Judaicæ Actis habere nexum occulta potuit ac obscura per se Infantium aliquorum in viculo perpetrata strages?
Hi-

Historiæ Leges probe Flavium calluisse non dubitaverit certe ejus admirator maximus Scaliger; Historicas autem Leges si non ignoravit Josephus, Herodianum imo Infanticidium debuit prætermittere. Quotusquisque enim est, qui ignoret, haud sinere leges illas, Historicum in particularibus immorari narrandis, sed magna solum, nobilia, grandia, publica facta, eaque, quæ necessarium cum his habent nexum, scribenda esse præscribere? De iis olim querebatur reipsa Lucianus, ubi de conscribenda agit Historia, qui rerum gestarum maximas ac memoria dignissimas prætermittunt, aut percurrunt; præ imperitia autem, aut ineptia, aut ignorantia cum eorum quæ dicenda, tum eorum quæ tacenda sunt, res minimas prolixe admodum ac laboriose immorando persequuntur. Ab minimarum igitur narrationibus rerum recedere, quoad potest, debet sapus Historicus ne, Liviano more, decori officiat Historiæ, discurrere per negotiorum altitudines adsuetæ, ut optime ait Ammianus Marcellinus, non humilium minutias indagare caussarum; quum ii jure ac merito vapulent, qui erratum sua putant in Historia, si præteritum sit quod loquutus est Imperator in Cœna, vel omissum quamobrem gregarii Milites coerciti sunt apud signa, nec decuisse arbitrati in multiplici descriptione Regionum super exiguis silere castellis. Itaque & suis se stetisse præceptis ostendit,

Lib. XXVI.

dit, dum multa narratu minus digna quæ facta ſciebat, ſibi narranda non duxit, quod Hiſtoriam per minutias ignobiles producendam non exiſtimaret. Codrum reprehendit Capitolinus, quod nedum eorum geſta ſcripſerit Cæſarum, qui nulla virtute claruerunt, ſed & minima quæque nullo pacto ad Hiſtoriam pertinentia fuerit indecore ſectatus, quaſi, inquit, vel de Trajano, aut Pio, aut Marco ſciendum eſſet, quoties proceſſerint, quando cibos variaverint, & quando calceamenta mutaverint ac veſtes. Flavius etiam Vopiſcus, Firmi actis inſignioribus memoriæ traditis, Lectorem de minutioribus ſollicitum ad Aurelianum Feſtivum remittit; omnino enim vilium rerum, aut ſcribenda nulla eſſe cum Capitolino autumabat, aut pauca nimis, ſi tamen ex his poſſint mores animadverti, qui revera ſciendi ſunt, ut ex iis colligantur cetera. Quamvis vero Annales ad Hiſtoriæ Majeſtatem non accedant prorſus, nec in illis tamen levia ac minora conſcribi debuere; unde egregie Tacitus in altero Neronis Conſulatu: *Pauca*, inquit, *memoriæ digna evenere, niſi cui libeat, laudandis fundamentis & trabibus, queis molem Amphiteatri apud Campum Martis Cæſar exſtruxerat volumina implere, cum ex dignitate Populi Romani repertum ſit res illuſtres Annalibus, talia diurnis Urbis actis mandare*. Imo celebris inopia argumenti vix eo dignos nomine idem Hiſtoricus Annales

In Opil.

Lib. Annal. XIII

ar-

arbitratus est suos, quum revera scripserit: *Pleraque eorum quæ retuli, quæque referam, parva* Lib. Annal. IV. *forsitan, & levia memoratu videri non nescius sum. Sed nemo Annales nostros cum Scriptura eorum contenderit; qui veteres Populi Romani res composuere. Ingentia illi bella, expugnationes Urbium, fusos captosque Reges; aut si quando ad interna præverterunt, discordias Consulum adversus Tribunos, agrarias frumentariasque leges, Plebis & Optimatium certamina, libero egressu memorabant. Nobis in arcto & inglorius labor. Immota quippe, aut modice lacessita pax, & Princeps proferendi Imperii incuriosus erat.* Hæ Veterum sententiæ erant de Historiæ majestate. Nec dissimiles Re- Lib. *De Arte Historica* I. Cap. 4. centiorum omnium. Omitto Cl. Mascardum. Celebris Gallus in Animadversionibus ad Sallustium & Tacitum, priorem alteri præferre videtur, quod Ille nedum parvas ac exigui momenti res Historia indignas, sed privatos quoque ac particulares adfectus ab ea duxerit eliminandos. Sic enim acute: *Pour conclure mon Ob-* S. Evremond Tom. II. Edit. Londr. *servation sur ces deux Auteurs, l'ambition, l'avarice, le luxe, la corruption, toutes les causes generales des desordres de la Republique; sont tres-souvent allegués par celuici.* (loquitur de Sallustio) *Je ne sçai s'il descend assez aux interets, & aux considerations particulieres. Vous diriez que les Conseils subtils & rafinez lui semblent indignes de la grandeur de la Republique; & c'est peu-être par cet-*

cette raison qu' il va chercher dans la speculation peu de choses : presque tout dans les passions, & dans le genie des hommes. Omittenda vero multo magis generali in Historia, quæ levia nedum sunt, sed etiam tristia; nec enim res ejusmodi solam Historiæ majestatem lædunt, sed & eam, quæ ferre Ipsa profecto debet jucunditatem. Egregie Vir immortalis nominis Famianus Strada: *Quamquam autem aliqui existimant voluptatem, cui dat operam Poeta: fidem, ad quam apposite dicit Orator: mores, quorum Institutionem Philosophus molitur, ita esse Historico miscenda, ut nullum ex his prætereat in narrationibus rerum: ego nunc tamen in exploranda fide consistere decrevi: quod de moribus verba jam fecerim, de voluptate vero non multis agendum sit adversus eos, qui a scriptis suis abesse plerumque hanc partem aperte fateantur. Nam minuta quædam dum persequuntur ac levia, eaque in partes secta considerant impensius ac putidius: dum tristia ex iis pleraque & luctuosa passim ingerunt: dum non externa ut plurimum bella, honesteque obitas pro Republica mortes, sed patientia servili effusum domi sanguinem, continuatis ac similibus infortuniis referunt; exiguam nimirum Legentibus oblectationem afferre se, quin potius fatigare animos, & mæstitia restinguere probe intelligunt*. Est hoc autem effatum sola unaque ex rebus tot quæ scripsit Famianus, de qua demum cum Ipso conveniat doctus quidem,

Proluf. II.

ſed virulentiſſimus ejus nominis oſor Scioppius, qui in Diſſertatiuncula de natura Hiſtoriæ, deque Hiſtorici Officio, poſtquam ita Hiſtoricum definiſſet: *Hiſtoricus eſt Vir bonus res geſtas cum ſuis cauſſis ac modis vere, libere, & humaniter, ſermone perſpicuo puroque, ex uſu publico narrandi peritus;* poſteriora hæc verba ita commentatur: *Ex uſu publico, ne in frivolis, quorumque nullus ad vitam recte inſtituendam, & ad res pace & bello gerendas uſus eſt, narratio occupetur, nec rurſum quæ talem habent utilitatem prætermittantur.* Hiſce vero præconceptis omnibus, hiſce Hiſtoriæ legibus poſitis ac ſtatutis, in hac tam vera cum Veterum, tum Recentiorum etiam Hiſtorici de Officio ſententia, in tanta quam habuit Scaliger de Flavianæ Hiſtoriæ majeſtate ac dignitate opinione, quo dein pacto mirari Scaligeranorum Editores poterunt, Herodianum fuiſſe Infanticidium in Operibus Judæorum Hiſtorici prætermiſſum?

Verum, inquient, Cædes illa Infantium maxima erat, & nimis barbara crudelitas. Fateor, ſi reſpiciatur in ſe, ſi relate ad res Chriſtianas, ſi relate ad cauſſam, ob quam perpetrari illam Herodes juſſit; ſecus autem exiguus ſi reſpiciatur Interfectorum numerus, ſi ad Judæorum generales res domi foriſque geſtas, quas enarrandas ſuſceperat Flavius, referatur, ſi nullum cum re Judæorum generali, eorum cum Republica habere

bere nexum potuisse animadvertimus. Quis enim stragem illa reliqua cum Orationis serie oppido conjunctam, neque taceri potuisse dicat absque non parvo Judaicarum rerum notitiæ detrimento? Quis factum illud magna inter, grandia, excelsa, nobilia, publica acta, aut inter ea, quæ necessarium cum eisdem habent nexum arbitretur enumerandum? Quis illud diurnis potius Herodis actis, quam totius Gentis Annalibus mandari debuisse non animadvertat? Non inter honeste habitas enumerari Puerorum fata poterant pro Republica mortes; non inter ea, quæ politici Judæorum status, quæ Regiæ Domus fax & turbo fuerunt. Cur igitur de illis dicere debuisset Flavius? cur Ipso tacente suppofititia eorum audiet Historia? Optime Gallus Scriptor: *Les choses nouvelles, grandes, universelles, & celles qui ont l'air du grand Monde, sont toujours agreables, parce que les hommes sont curieux, parce qu'ils meprisent les choses bornées & de petite consequence, & qu'ils sont ordinairement fort touchés de la Grandeur. C'est par cette raison que ce qui sent les Provinces, les petites Villes, & les Quartiers particuliers est de mechant gout. On s'imagine que la Politesse & le Bon-air ne s'y trouvent point.* Nonne vides occisionem illam Bethlehemæ, in exiguo videlicet ac misero Judææ vico perpetratam, ab iis vix differre, quæ in Cumano contigerant Trimalchionis prædio, quæque

Piece attribuée à M. de S. Evremond. T. VII.

P 2 Actua-

In Satyric. Actuarius ille, apud Petronium, tamquam ex Actis Urbis recitavit in Cœna? Hac utique de cauſſa, nempe quod ſubjectum Hiſtoria generali indignum videretur, ſilentio preſſus a Joſepho Magorum Hieroſolymam adventus; quod non Reges, ſed Sapientes tantum eſſent, & abſque ſtrepitu, abſque faſtu, abſque magno adveniſſent comitatu. Hac de cauſſa omiſſus a Joſepho cenſus de quo Lucas; quod nempe, doctiſſimorum hominum ſententia, in Judæa ſolum, non per Orbem ageretur univerſum; Evangeliſtæ verba ſiquidem, πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, reſpondentia phraſi Hebræorum frequentiſſimæ כל ארץ, Judaicam modo ſignificare terram arbitrati ſunt. Itaque ſi Cenſus Judæam reſpiciens univerſam, indignum viſum eſt, aut non neceſſarium ſaltem, Judæorum generalis Hiſtoriæ ſubjectum; quam indignior, quam neceſſaria minus recenſitu res illa videbitur ac erit, quæ anguſtiſſimo Judææ angulo fuit circumſcripta, quæ in exiguo Judææ fuit perpetrata viculo!

Exiguum enim imaginari debemus fuiſſe interfectorum illa in laniena numerum, quod facile evincere erit, illius Regionis, in qua perpetrata cædes eſt, habita ratione; ſi Bethlehemæ quippe deſcriptionem, qualis apud Scriptores omnes proſtat, ſerio perpendimus, vix aliquas centenas animas illum continere locum potuiſſe dignoſcemus, recenſitis etiam Virginibus ac Fœmi-

mi-

minis, Adolescentibus, ceterisque ætatis grandioris Viris, & qui ad extremam adhuc illo pervenerant in Oppido senectutem. Suo Johannes in Evangelio Bethlehemam *Vicum* nominat: VIII. 42. Οὐχὶ ἡ γραφὴ εἶπεν ὅτι ἐκ τοῦ σπέρματος Δαβὶδ, καὶ ἀπὸ Βηθλεὲμ τῆς κώμης, ὅπου ἦν Δαβὶδ, ὁ Χριστὸς ἔρχεται. *Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David, & Bethlehem Castello, ubi erat David, venit Christus?* Et recte sane interpretatum; ex Glossario quippe Κώμη. Villa est, Castellum, Vicus. Lucæ quidem II. 4. dicitur ascendisse Josephus a Galilæa ex Civitate Nazareth in Judæam εἰς πόλιν Δαβὶδ *in Civitem David quæ vocatur Bethlehem*. Verum animadvertit optime Epiphanius, pluribus in Codicibus κώμην legi, non πόλιν, vicum videlicet, non Urbem; nisi quis ita ex Ipso esse exponendum putet: Διὸ ἐν τινι ἀντιγράφῳ τῶν Εὐαγγελιστῶν καλεῖται πόλις τοῦ Δαβίδ. ἐν ἄλλῳ δὲ κώμην αὐτὴν καλοῦσι, διὰ τὸ εἰς ὀλίγην γῆν αὐτὴν ἥκειν. *Propterea in quodam Exemplari Evangelistarum vocatur Urbs David: in alio vero ipsam Vicum nominant, quod ad brevem terræ modum esset redacta*. Justinus in Dialogo cum Tryphone: Γεννηθέντος δὲ τότε παιδίου ἐν Βηθλεέμ, ἐπειδὴ Ἰωσὴφ οὐκ εἶχεν ἐν τῇ κώμῃ ἐκείνῃ ποῦ καταλῦσαι, ἐν σπηλαίῳ τινὶ σύνεγγυς τῆς κώμης κατέλυσε. *Nato vero tunc Puero in Bethlehem, quoniam Joseph non habebat in Vico illo, ubi diverteret, in specu quodam prope Vicum divertit*. Vicum quoque, seu Castellum Bethlehemam appellat idem San-

Hæres. LI. c.

Sanctus Pater Apologia secunda pro Christianis. Serm. V. Curat. Theodoretus eundem locum fuisse ait χωρίον ἄδοξον καὶ σμικρὸν, *locum ignobilem & parvum*. Pauperem fuisse ex Hieronymo in Hieremiam Oppiduli hujus Incolam intelligimus. *Gloriam Sanctitatis, nostra paupercula possidet Bethlehem, non habens aurum & gemmas, sed panem qui in ea natus est*. Et ad Marcellam Epistola decima octava: *Verum ut ad Villam & diversiorum Mariæ veniamus*. Imò & *Villula* Paullæ & Eustochio ad Disquis. in aliq. N. T. loc. Cap 3. Marcellum scribentibus nuncupatur. Locum illum Caninius, *obscurum* vocat *atque ignobile Op-* Exercit. II. in Baron. *pidum*; Casaubonus, κώμην ἀτείχιστον, *muris videlicet non cinctum vicum*. Petavius, *Oppidulum* Ration. Tempor. Tom. II. vocat, *Vicum perexiguum, absque suburbiis;* Serrius denique in Animadversionibus Anticriticis in Historiam Familiæ Sacræ a Sandino conscriptam: *Bethlehem passim Ecclesiæ Patres, ceterique Scriptores, Vicum, Viculum, Pagum, Oppidulum, exiguum Castellum appellant*. Hæc autem ita quum sint, ubi quæso in miserrima & paupere Civitatula, in Vico aut Viculo, in Pago, in Oppidulo, in exiguo invenies Castello magnum bimulorum numerum quos possis occidere? Quam exiguus fuisse dicendus erit Puerorum numerus Herodis ira occisorum!

Imaginari siquidem haud debemus, minores bimulis ad usque unius diei aut horæ parvulum, Herodis jussu fuisse trucidatos. Falsissimam esse hu-

hujusmodi sententiam ostendit Cornelius Jansenius, cujus hæc testatissima sunt verba: *Hoc quod dicit Matthæus, Herodem sustulisse Pueros a bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis, sic est intelligendum, ut verba illa secundum tempus, non referantur ad illud a bimatu, sed tantum ad illud quod dicit, & infra. Ideo enim illud ab Evangelista adjectum videtur, ut significaret minores bimulis, non quoslibet, sed qui essent circa & ante, non autem post tempus Stellæ editi, jussos ab Herode occidi. Neque enim natum hunc Puerum regium post Stellæ apparitionem arbitrabatur.* Eodem in sensu Evangelistæ verba esse accipienda docuit magnus Annalium Parens Eminentissimus Baronius, quum scripsit: *Illud: secundum tempus, non esse referendum ad id, quod Matthæus dixerat: a bimatu; sed ad illud potius quod subdit: & infra. Sicque Evangelistam significare voluisse, eo cædis edicto non includendos eos, qui geniti essent post Christum natum, & Stellam visam a Magis, quorum nulla potest esse suspicio; atque ita voluisse cædendorum Puerorum terminum esse secundum tempus quod exquisierat a Magis.* Illos igitur si necatos nolumus, quorum nulla esse poterat suspicio; præconcipiamus etiam, si libet, spatium illud *circa & ante* tempus stellæ visæ, quatuor ad menses posse extendi ac propagari; quam pauci inde orti tale intra spatium exiguo in viculo, exiguis in finibus Infan-

Cap. II. in Concord. Evangel.

Tom. Annal. I. ad Ann. Chr. I.

fantes! quam pauci Herodiano gladio coronati! ea maxime de caussa quod populosam imaginari vix possumus Regionem, quæ paucos ante annos, tot passa fuerat vastationes, ac hostilia non modo, sed civilia etiam crudelissima bella, barbare scilicet expugnatis a Romano Milite cum Herode Hierosolymis reliquisque Urbibus, & multis hominum millibus non Regia in Urbe modo, sed & in circumpositis Regionibus militari licentia ac furore trucidatis. Illa utique in expugnatione omnia cædibus repleta fuisse tradit Josephus; heinc Romanis longa oppugna-
Lib. Antiq. XIV. Cap. 21. tione exacerbatis, illinc Herodianis Judæis adversam funditus exstirpare conantibus factionem. Quare & capta Civitate haud minus negotii habuit Herodes in Auxiliis Alienigenarum compescendis, ac in Hostibus comprimendis habuisset. Rogabat nempe Romanum Ducem Sosium, solitudinis ne se Regem Romani facturi essent, exhausta Urbe rapinis simul atque cædibus? Quis arbitretur igitur, paullo post populationem illam, Herodis caussa Hierosolymitana in regione factam, potuisse eandem tot adeo esse Incolis frequentem, ut vel in Vicis atque Pagis bimuli possent multi numerari? Verum more Scholastico',

Instabis: Josephus Libro Belli Judaici VI. ocularis fatetur testis, extremæ obsidionis Hierosolymorum tempore ad Paschatis solemnia, sancta

con-

convenisse in Urbe Virorum καθαρῶν πάντων καὶ ἁγίων myriadas CCLXX. vicies nempe septies centena millia Virorum purorum, atque mundorum: præter infinitam prope multitudinem, quam considerare in Judæa cogimur eorum, quos aliqua corporis infirmitas, vel pollutio arcebat ab esu Agni Paschalis, fœminarum item, atque puerorum. Rebus igitur Herodis saltem in pace compositis, non adeo depopulata, frequentissima imo Incolis dici debuit Judæa; quare & plurimi quotannis Infantes in Vicis etiam generati.

Respondemus: Concesso antecedenti, negamus consequentiam. Non enim idem est de Infanticidii loqui tempore, trigesimo quarto videlicet Herodiana post bella anno; ac de tempore loqui postremi Hierosolymorum Excidii, centum videlicet ac amplius post bellum Herodis cum Antigono annis. Integro & amplius sæculo haud inficiamur quidem potuisse Judæorum numerum aliqua esse ratione, universa in Judæa, reparatum; cujus exemplum rei in solo esse potest agro Brixiano, qui, quum gravem ob Pestilentiam, quæ anno MDCXXX. grassata est, Incolis nudatus pene fuisset, sæculi tamen spatio, in frequentiore minus adhuc, quam apud Judæos, Nuptiarum usu, restitutus conspicitur prorsus, imo etiam auctus. Verum triginta quatuor tantum annis effici id nulla certe ratione potuisset; debetque generationibus æquum con-

cedi ſpatium; nec a toto ad partem temporis valet conſequutio. *On ne fait pas les Hommes en realitè, comme on les fait a coups de plume*, aiebat Scriptor cui læta materia. Sed hac de re jam ſatis. Itaque proſequimur.

Religionem & πολιτικὴν duos eſſe cardines Hiſtoriæ verum quidem. Aſt Infanticidii narrationem Chriſtianas potius ad res, Chriſtianam potius ad Religionem, quam ad Judaicam ſpectaſſe quis non videat? Flavius profecto ſi Chriſtianorum perrexiſſet conſcribere Hiſtoriam, haud utique negarem erraſſe Ipſum maxime, Infanticidium omittentem, tot nominibus a nobis maximi faciendum. Verum diverſus ſat erat ejus finis, uti patefactum. Quam magni momenti Hiſtoria fuit vitæ ac mortis Chriſti relate ad ipſos etiam tunc temporis Judæos! Quantæ in ipſa Judaica Religione mutationes! Quot turbæ, quot novæ in Judæa res, in univerſis imo Romani Imperii Ditionibus! Et tamen, genuinum ſi velimus eſſe Joſephi illud de Chriſto Jeſu teſtimonium, quid, obſecro, pauca valent illa verba relate ad tam inſigne factum! quam brevi expedit ſe ſe! Certe prætereundo illud facit. Accuſavit tamen ſanus nemo; quia non Chriſtianorum, ſed Judæorum de rebus ex Inſtituto eſſe tantum ſuo ſollicitus debebat. Eadem erit igitur ratione de Infanticidio diſſerendum, quod in mente Joſephi nullum Judaicis habere videbatur

tur cum rebus nexum. Imo si quotquot genuinum illud Josephi arbitrantur de Christo Jesu testimonium, eo maxime ducuntur argumento, quod probabile non fuerit, Josephum Scriptorem non indiligentem, cum res Judæorum persequeretur, de illo tacuisse Viro, qui maximos in ea gente, ac per universum fere Orbem excitavit motus, qui sectam suo de nomine condidit, ac plures habuit Discipulos, qui Messiæ sibi nomen sumsit, quo solo celebrari inter Judæos potuit, apud quos magna tunc ejus erat expectatio, quippe eorum nomina haudquaquam silentio suis prætermiserunt in Historiis, qui hunc sibi arrogavere titulum; si desiderata, inquam, fuisset Josephi diligentia, testificationem suam tantæ Jesu claritati haud fortasse commodantis: quis non fateatur Historicum hunc ex opposito minime culpandum, de cæde Puerorum videlicet tacentem, quæ non Christi mortis instar, in Principe perpetrata fuit Judæorum Urbe, non coram Synedrio, non coram universa Gente Judæorum, sed in Viculo, in Oppidulo, sed clam, & nullis comitata motibus, nullo celebris effectu. Mos certe videtur Historicorum esse, curas solum suas in ea veluti intendere, quæ in Aula, quæ a Principibus ac Magistratibus, quæ ab universo Populo, quæ in Urbe fiunt ceterarum Principe, non in ea vero, quæ in Vicis accidunt, maxime si bellica non sint, nec cum Politicis ac Civili-

Huet. Demonst. Evang. Prop. III. n. XI.

bus connexa, sed tantum criminalia. Occultum fortasse fuit Judæis etiam illud factum, vel casu potius, & privatorum odio ac simultate visum accidisse; unde recte Lamius: *Credendi locus est, crudelem Regem immisisse Milites, qui scrutarentur domos, & ab uberibus Matrum raptos Pueros trucidarent. Cælabat enim pessimum Consilium suum, sciens non patienter perlaturos Judæos, ut quem haberent pro Christo necaret. Inde fieri potuit, ut cum facinus visum sit vesanos milites auctores habere, inter tot alia prava facinora, quæ Herodes patravit, non sit numeratum.* Quis, igitur, hisce præconceptis, facinus ejusmodi generali in Historia, ex legibus ejusdem, recensendum existimet adhuc, aut contendat? Exterorum denique, nempe Gentilium, in gratiam scripsit, uti dictum millies, Josephus; animadvertente vero aptissime laudato Lamio, *tanti olim non erat Pueros recentes trucidare. Apud Ethnicos penes erat Parentes tollere Pueros natos, vel trucidare.* De Infanticidio igitur si lamentationes extra rem facere perrexisset Flavius, Lectoribus suis, quos utique habere cupiebat, Gentilibus nempe, maximum debuisset jure ac merito ludibrium.

Comment. in Harmon. Evangel. Cap. XIII.

In Appar. Chronol. & Geogr. ad Comment. in Harmon. IV. Evangel. Par. I. Cap. IX. §. 3.

Vidit hanc prope veritatem Franciscus Maria Biacca, dum, ut Flavium a silentio Infanticidii vindicaret, ita scripsit: *Ne' tempi poscia, che cominciarono a scrivere gli Evangelisti, Gioseffo ha passato sotto silenzio la strage Betlemitica, che, tol-*

Tratten. Ist. e Cronol. Pref.

tone

tone San Matteo, è pure ſtata ommeſſa dagli altri tre Evangeliſti; ora ſe il Baronio non avrebbe luogo di riprendere queſti di obblivioſi, così con tutta giuſtizia ſtimiamo poſſa Gioſeffo paſſare, per queſto conto, ſenza rimproveri. Nempe imperfecto hoc ita ego uti cenſeo ratiocinio. Sicut eorum qui adverſus Manichæos hac in re diſſeruerunt ſententia, Johannes, Lucas, atque Marcus nil Infantium de Cæde ſcripſerunt, quia de illa Matthæum, quantum opus erat, abunde jam loquutum viderant; (quod equidem argumentum, vanum efficere non poſſent ii, qui Matthæum ceteris primum Evangelium ſcripſiſſe ſine cauſſa negant; illud enim ἐπεχείρησαν, quo uſus in Præfatione Lucas, cum in malam, tum bonam etiam in partem a Sacris prophaniſque Scriptoribus millies acceptum) ea, inquam ratione, qua quod jam ſcripſiſſet de Infanticidio Matthæus, idem jure, ac abſque culpa prætermiſiſſe dicuntur Johannes, Lucas, atque Marcus; eadem, imo potiori ratione abſolvendus audit ab omni noxa Flavius, quod factum illud ejus non pertineret ad Hiſtoriam, nec ad Hiſtorici finem ſpectaret atque ſcopum, aut inſolubile habere dici poſſet Judaicis cum rebus vinculum. Hanc autem diſſerendi rationem confirmant, aut ego fallor, vehementer, quæ Grotius ad Puteanum olim ſcripſit quadam in Epiſtola ab Univerſalis Bibliothecæ Scriptoribus relata: *Pierre de Puy*, ajunt Ipſi,

Con-

Conſeiller au Parlement, demanda un jour a Grotius, d'ou vient que les Evangeliſtes ne diſent rien de ce qui eſt arrivè a notre Seigneur avant ſa trentieme annèe, exceptè une ſeule choſe, qui luy arriva a douze ans, que S. Luc rapporte. Grotius repond a cela, que c'eſt par le but que s'eſt proposè l'Auteur, qu'il faut juger de ce qu'il doit dire, & de ce qu'il doit omettre: que les Evangeliſtes n'ont pas eu deſſein d'ecrire ſimplement la vie de Jeſus-Chriſt, mais de donner a la Poſterité l'Evangile, c'eſt a dire, une Doctrine, qui, ſous la condition de la repentance, promet aux hommes la remiſſion des pechez, & la vie eternelle: que l'Evangile eſt composè de deux parties, dont l'une regarde la Doctrine, comme eſt l'Hiſtoire des miracles de la mort, de la Reſſurrection, & de l'Aſcenſion de Jeſus-Chriſt: que cette Hiſtoire ne commence proprement qu'au Bapteme de Jeſus-Chriſt, parce que ce n'eſt que depuis ce temps la, qu'il a commencè a enſeigner publiquement & ſans diſcontinuation, & qu'il a fait des miracles: qu'ainſi les Evangeliſtes ont du omettre tout ce qui s'eſt paſsé en ce temps-la, & que s'ils en diſent quelque choſe, on le doit regarder plutôt comme une eſpece de Preambule, pour faire connoitre la Perſonne de Jeſus-Chriſt, que comme le commencement d'une Hiſtoire exacte de ſa vie.

Bibliotħ. Univ. Tom. I. ad Ep. 141. I. Part.

Ex fine igitur, videlicet ex ſcopo quem ſibi propoſuit Joſephus, judicandum quid ſcribere, quid omittere debuerit; non autem ejus tantum

ex

ex ſilentio de veritate aut falſitate facti ſtatuendum. Addam effatum quod Clariſſimus olim CARDINALIS LAMBERTINUS, nunc Chriſtiani Orbis delicium & Pater, BENEDICTUS XIV. immortale ac fulgentiſſimum Catholicæ Eccleſiæ ornamentum, in ſuo illo laudatiſſimo protulit Doctrinæ Eruditionis Eccleſiaſticæ Theſauro. Valere ſcilicet tunc tantum argumentum negativum, quum Scriptori *occaſio ſe obtulerit narrandi factum*. Oſtendendum autem Adverſariis ſupereſt, occaſionem ſe ſe obtuliſſe Flavio deſcribendi generali in Hiſtoria Cædem Bethlehemiticam; quod proculdubio futurum Ipſis dicimus impervium.

De Serv. Dei Beatif. Lib. III. Cap. X. N. 6.

CAPUT NONUM.

Eorum Opinio qui magnum aut maximum credidere Infantium Bethlehemiticorum numerum. Inanibus oſtenditur niti fundamentis. Ejus in medium producitur Origo. Oppoſitum innuere vetera ac tutiora Eccleſiæ monumenta. Oppoſitum tradidiſſe Clariſſimos Scriptores. Epilogus Diſputationis.

SCaliger, aut verius, qui in Scaligeranis dubitationem de Infanticidio conſcripſit, miratur, Flavium de facto ſilere potuiſſe, quod *etoit une inſigne cruautè*. Quibus equidem verbis hunc Ego Scriptorem factum illud fuiſſe imaginatum arbitror inſtar plebeculæ rudioris; nempe mil-

millenos credidisse aliquot, aut centenos saltem interfectos ab Herode Bethlehemæ Pueros, ceu, eorum post fata,

horrida tellus
In lucem extulerit nutritas sanguine fruges;
aut vix Navita Porthmeus
Suffecerit simulacra Virum traducere Cymba;
Classe fuisset opus.

Eam in opinionem particulares quædam Ecclesiæ versatæ etiam videntur; ut enim ostendunt doctissimi Bollandiani, Græci Infantium interfectorum numerum suis in Martyrologiis ad quatuordecim millia extenderunt. Bonus autem Petrus de Natalibus Sanctorum scribens, centum fuisse ait quadraginta quatuor millia, quod ejus in Festo canere solita sit Ecclesia, illa Apocalypseos verba: *Centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra, hi sunt qui cum Mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim permanserunt &c.* Ob has, similesque preces, quibus eo die utimur, quo sanctissimorum horum Martyrum memoriam rite celebramus, magnum fuisse eorum numerum scripsere demum etiam, qui Critices & Historiarum peritia gloriantur; ut hoc prætercam in loco incautam aliquando Biographorum ac Concionatorum Turbam ac plebeculam; quorum Opinio de innumerabili occisorum Infantium numero ita Vulgi ac reliquorum omnium animo insedit, ac altas adeo radices egit, ut

Tom. I. Maii. Adnotat. ad ephem. Græco-Mosc.

Lib. I. Cap. 10.

ut jure inde argumentari videantur, qui tam grandem ac barbaram tantorum lanienam Puerorum, Flavium omittere potuiſſe, perſuadere ſibi aliqua ratione minus poſſunt.

Verum, præter jam dicta ſuperiore Capite, exiſtimandum exiguum fuiſſe nempe illorum Puerorum numerum, habita regionis, in qua Cædes perpetrata eſt, ac temporis ratione; id evincit quoque ipſummet ejuſdem Flavii ſilentium. Quis imaginetur enim, Ipſum, tot Clariſſimorum hominum ſententia, diligentiſſimum Scriptorem, aut etiam, ſi mavis, haud omnino diligentem, prætermittere voluiſſe tamen, Herodem ad eam perveniſſe crudelitatem ac barbariem, ut quatuordecim, aut quindecim, vel centum quadraginta quatuor millia Puerorum interfecerit? Hoc ſane uti debebant Scaligeræi argumento, ut vulgarem oppugnarent Opinionem, ut nec magnam, nec maximam fuiſſe evincerent Infantium Bethlehemiticorum copiam; qua equidem in re validum ac tutum, in medium adduxiſſent argumentum, modeſtum ſimul atque criticum, videlicet cum pietate ac veritate conjunctum; non vero ut ſuppoſititiam eſſe inferrent illam cladem, interpolatum Evangelium, additam arte pia Chriſtianorum lanienam; media enim via, Regia ſemper fuit, nec invenire niſi temperata conſilia poſſunt, aut vendicare veritatem. Centum quadraginta quatuor mille bimulos haud

fuisse arbitror in Judæa universa; vix etiam quatuordecim mille; quum nec eodem die, nec eodem mense nasci Infantes soleant, & sacrum juxta Textum certum sit, occisos modo Pueros *a bimatu & infra*, nempe a bimatu & intra; ut enim recte Antonius Nebrissensis ait: *infra*, conditionem ac locum designat; *intra*, numerum & spatium.

Quinquagen. Cap. VII.

Porro si vetera, sincera, ac sacratiora inspicimus Ecclesiæ monumenta, pauciorem certe videntur Interfectorum Bethlehemæ denotare numerum. Sacer Textus hæc habet tantum: ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας τοὺς ἐν Βηθλεὲμ, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω. *Occidit omnes Pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra*. Illud *omnes* recte cum exigua Puerorum convenire potest copia, cum exiguo Puerorum numero; qui quum definitus ab Evangelista non sit, a loci qualitate, ab natura rei, ab ceterorum numero habitantium est certe repetendus. Si vetera consulimus Ecclesiæ Kalendaria, ita Martyres illi in eisdem denotantur, ut paucissimos fuisse statim suspicemur. Kalendarium Carthaginiense ab Ruinartio ad calcem Actorum Martyrum editum, ita modo habet: *Sanctorum Infantum, quos Herodes occidit*. Kalendarium Romanum vetus Frontonianum: *In Natali Innocentum*. In Ordine Solari quem post Vandalberti Martyrologium editum habemus, nil aliud

Matth. II. 16.

Tom Spicil. II. Edit. nov.

aliud legimus, quam: *V. Kal. Innocentium*. Hieronymiana, ut audiunt, Martyrologia nil Interfectorum referunt de copia. Florentinianum: *Bethlehem, Natale Sanctorum Infantium & Lactentium, qui sub Herode pro Christo passi sunt.* Apograph. Bluman. *Bethlehem, Natale Sanctorum Infantium.* Apograph. Antuerpienſ. *Bethlehem Judæ, Natalis Infantum.* Martyrologium Bedæ: *V. Kal. Natalis Sanctorum Martyrum Innocentium;* ad quæ ſubdit Auctarium Flori: *qui teſtimonium Chriſto non loquendo, ſed moriendo perhibentes, Herodis impietate, felici nece conſumpti ſunt.* Hanc Infantes enunciandi ſimplicitatem retinuere, contra morem, ſequuti inde Martyrologi; ut videre eſt in Vandalberto, Rhabano, Romani Auctore, Galeſinio, De Aſte, ceteriſque. Hoc autem, aut ego fallor, in loco valet maxime Argumentum negativum. Martyrologiorum quippe Scriptores in eo errare dicuntur, ut Martyrum numerum, pluſquam par eſt, augere videantur; eorum eſt Martyria minime omittere, Martyres recenſere omnes, copias una paſſorum Martyrum pro dignitate recenſere. Nullus tamen eſt, qui vel aliqualem memoret Infantium Bethlehemiticorum multitudinem; omnes Evangelii Textum, phraſim, ſenſum, etſi Recentiores aliqui, etſi non diligentes, etſi non emendati, oppido ſequuntur. Itaque in opinione modo Vulgi ſita eſt illa Bethlehemiticorum

Bollandian. Tom. II. Maii.

Infantium copia; quare, uti luculenrissima hæc Sanctis de Martyribus Bethlehemæ coronatis testimonia, adversus Scaligeranorum Editores apertissime evincunt, veram esse illorum martyrii narrationem ac historiam; ita adversus homines ex imperitia, aut partium studio, ex opinione Vulgi judicantes, ostendunt evidenter, nil eorum de numero fuisse ab Ecclesia definitum; eo imo factum illud efferri modulo, locus ut tibi jure relinquatur cogitandi id quod rerum ac loci natura postulat, haud multos videlicet fuisse Bethlehemæ coronatos.

Inanibus autem nituntur fundamentis, qui tantam ex Apocalypseos verbis die Innocentum festo ab Ecclesia recitatis, esse eorum arbitrantur copiam. Utitur tunc etiam Ecclesia illis Apocalypseos verbis: *Hi sunt qui cum mulieribus non*
Cap. XIV. 4. 5. *sunt coinquinati; Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus Primitiæ Deo & Agno, & in ore eorum non est inventum mendacium &c.* Quis Exegeticorum autem hæc de Pueris Bethlehemæ coronatis interpretatus umquam verba est? Sunt qui de illis dicta hæc edocent, qui Idololatriæ sordibus polluti non sunt; quod proprium phrasis Scripturæ sit, de iis *constuprari* dicere, qui se se Idolis subjacent. Heincque in ore eorum non esse inventum mendacium accedat, quod non vocaverint Deos, eos qui Dii non sunt; mendacio Idolo-

lolatriæ adhærescente semper. Alii de iis dictum voluere, qui sanctam incorruptamque ab voluptate ac concupiscentia, a turpi metu ac insidiosis adfectibus custodiere mentem, unde Virginibus comparati sint, & empti de terra dicti, a vitiis nempe liberati. Aliorum est ex opposito sententia, locum de illis interpretandum, qui Virginitatis florem servaturi erant, ut videre in Commentariis est ad hoc Apocalypseos Caput. Pie vero illis, ut ita dicam, Expressionibus utitur in celebranda passione illorum Martyrum Ecclesia, quod optime inservire videantur aliquali rei gestæ significationi; quum sermo ibi sit de *Primitiis Deo & Agno*. Primitias autem, & flores Martyrum Pueros appellarunt illos Cyprianus, Augustinus, & in Epiphaniæ Hymno elegantissime Prudentius:

Salvete flores Martyrum
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi victima
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma & coronis luditis.

Quæ Paraphrasis veluti sunt verborum Apocalypsis; quin ejus Scriptor illis verbis ad Pueros alluderet Bethlehemiticos. Si enim animi gratia de Patre filium diligente diceremus Maronis

nis illud accommodari ac veluti compleri:

Omnis in Ascanio chari stat cura Parentis.

Aut Judæos in exilium actos, ac Hierosolymam linquentes, induceremus ea proferentes, quæ eversa Troja Ovidius Matres Patriam lugentes suam inducit:

Troja vale, rapimur, clamant, dant oscula terræ
Troades, & Patriæ fumantia tecta relinquunt.

Aut denique si Matres Infantium Bethlehemiticorum deflentes necem, Lucani terminis repræsentaremus:

Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infaustam Sobolem: major Carthaginis Hostis,
Non servituri mœret Cato fata Nepotis.

Haud perinde tamen sequeretur Maronem, Ovidium, ac Lucanum de ideis nostris, aut de objectis, quibus eorum aptamus verba, cogitasse. Itaque & numerus ille centum quadraginta quatuor millia, nil cum Infantibus Bethlehemiticis commune habet, nec est cum numero eorum aliqua vel levi societate conjungendus. Numeros Apocalypsis illos explicarunt aliqui ex Platonicorum perfectione numerorum, ceu perfectio rei a numerorum perfectione repræsentaretur; unde & D. Thomas docebat olim, centenarium convenienter respondere Virginitati, quod denarius ex cujus ductu centenarius surgit, esset limes numerorum, habere siquidem centenarium, quatenus quadratus est numerus, perfectionem

In IV. Sentent. Dist. XLIX. Art. 2.

ex

ex figura. Centenarium etiam supra sexagenarium addere quadragenarium, consurgentem ex ductu quaternarii in denarium; quaternarium autem primum numerum esse solidum & cubum. Hasce, inquam, additiones convenire inferebat Virginitati, aliis cum pluribus, quæ legi apud Ipsum possunt; ex quibus tamen nil umquam historice deductum; nam & aliqui illis Apocalypseos numeris abusi ad maledicendum sunt. Testis Nicolaus Mulerius in Vaticiniis Pathmi elucidatis, ubi somniando Oracula effutiit. Viderent profecto qui ex illis Scripturæ verbis Pueros centum quadraginta quatuor mille occisos ab Herode statuunt, quam diversa ratione, & sensu quam opposito, numerum interpretetur illum Scriptor iracundus; adeo coguntur insanire qui suo numeros illos rebus aliquibus ex ingenio accommodant. Optime egit profecto celebris noster Cajetanus, qui enarratis sapientissime ceteris novi Testamenti Scriptis, id præstare tamen noluit erga Apocalypsim; cujus rei caussam ex iis quæ ad Carolum Cæsarem scripsit, habes apertissimam. *Quoniam*, inquit, *intentionis meæ fuit sensum dumtaxat germanum prosequi, ideo Apocalypsin Joannis omisi: fateor enim ingenue, me non penetrare illius Mysteria juxta sensum litteralem*. Id ipsum prorsus testatus quoque est Arias Montanus in Prologo. Illo celeberrimo de Cardinali scripsisse recordor Spencerum: *Cum Ca-*

Præf. in Epist. Paul.

Cajetanus Reformatorum importunitate coactus incertum illum ex allegoriis Scripturas commentandi modum desereret, & sensui litterali pressius adhæresceret, suorum malam gratiam iniit, ut vix multis Apologiis facti illius invidiam amoliri potuit. Utinam in Apocalypsi non interpretanda, sequuti Cajetanum essent tot remotarum regionum Scriptores; adeo uberem non dedissent profecto admirationis materiam nobis, ruboris suis.

Lib. De Legib. Hebr. Ritual I. Cap. XV. Sect. I.

Credidisse vero Vulgus innumeros fuisse interfectos Bethlehemitica in laniena Pueros nos etiam haud inficiamur. Verum erroris erit prorsus pervia origo, primum si perpendimus, barbaris neglectam fuisse sæculis Lectionem Scripturarum; & Evangelicas Historias ab Apocryphis ac Legendariis desumtas. Auctor Homiliæ III. in Matthæum, quæ inter Opera Chrysostomi aliquibus comparet in Editionibus, nec tamen, firmissima Criticorum omnium sententia, Chrysostomi est; post multa de Innocentibus oratoria methodo enunciata, hæc denique illis de Infantibus scribit: *Probat novos Exercitus Christus, rudes milites designat, Legiones lactentes victoria perpetrata coronat. Fiunt pro Christo victores qui ætate fuerunt coæquales. Transmisit Infantes infans Christus ad cælum, nova xenia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori. Ostendit futuram fœcundissimam messem, dum in semine tantam exhibet ubertatem.* Obstat Evangelium tamen, obstat

ſtat & Euſebius, ita Evangelii verba reddens: ἀνεῖλεν πάντας τοὺς περὶ τὴν Βηθλεέμ. *Occidit omnes Pueros qui erant circa Bethlehem*. Falſam illam de Puerorum multitudine opinionem, deque laniena per Judæam univerſam hauſerunt Plebes ab Orationibus etiam, ac prope dicam, tragicis Patrum expreſſionibus exaggerantium crudelitatem Herodis profecto maximam. Tragicarum hujuſmodi phraſium ſpecimen jam proſtat in Homiliæ Auctore apud Origenem; uberiuſque exſtat apud Gregorium Nyſſenum exemplum, in Sermone de Chriſti Nativitate, in quo, ceu in excidio Trojano:

Commentar. in Pſalm. LXXII.

Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque domos ..... crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Exaggerationes illas de barbarie maxima, intellexere Plebes, ſeu converterunt veluti exaggerationes eſſent de numero innumerabili; aut verius, quod intenſive, ſi ita loqui fas, exaggeratum erat, extenſive amplificatum eſſe crediderunt, & eloquentiæ artem in Hiſtoriam verterunt more populari.

Acceſſere Poetæ ſolita emphaſi; unde Sedulii illa:

Caterva Matrum perſonat,
Colliſa deflens pignora
Quorum Tyrannus millia
Chriſto ſacravit victimam.

Hymn. de Chr. ab Incarn. ad Aſcenſ.

 Heinc

Heinc Beda, ſuo licet in Martyrologio nil de copia, uti vidimus, Puerorum dixerit, in altero tamen metrico ipſi aſſerto inducitur ſcripſiſſe:

Tom II. Spicil. Ed. nov.

Martyrio tenera proſtrantur millia quinis.

V. intellige Kal. Januarii; ita nempe carminis legibus, libertate Vatum, ac moribus temporum olim poſtulantibus. Præconcepta igitur popula-lari hac idea, ex ſilentio Flavii argumentari pergunt Scaligeranorum Editores. Verum, cur Scaligerum Criticum agentem, populariter adeo præconcepiſſe, adeo populariter loquutum inducunt? An a Plebeculæ Libris Eccleſiaſticæ ſuper rebus Hiſtoriæ argumenta derivare ſe poſſe crediderunt? Sed illi

Eripiunt ſubito nubes, cælumque, diemque
Lectorum ex oculis.

An Concionatoribus quibuſdam credidere exaggerantibus numerum, & vulnera, & ſtragem? *Aſt Concionatorum verba*, ait Sixtus Senenſis, *non ſunt ſemper eo rigore accipienda, quo primum ad Auditorum aures perveniunt. Multa enim Declamatores per hyperbolem crebro enuntiant, & inculcant, vel occaſione temporum, locorum, & Perſonarum adducti, vel affectuum impetu, & Orationis curſu rapti.* An maximum denique Innocentium numerum ex rerum ſacrarum Pictoribus hauſerunt Scaligeræi? Verum & hi, ritu Sabino, quod aliquando volunt ſomniant; iccirco quale Hiſtoriæ, quale Critices genus eſſet, quod talibus niti

Biblioth Sanct. Lib. VI. annot. 152.

per-

pergeret fundamentis? Illa porro Patrum, Ecclesiarum, Concionatorum, Vatum, Imaginum, Vulgus denique consensio, substantiæ, ut ita dicam, Infanticidii veritatem certam efficit, non illorum autem numerum, multitudinem, ac copiam; nec hujusmodi factum, ex Evangelicis primum esset, quod in Vulgaribus Codicibus, in Libris Plebis videlicet, fuisset interpolatione, additione, amplificatione corruptum. Vir illustrissimus, ac omni laude dignus, Johannes Bottarius, in Epistolica Præfatione ad Cl. nostrum Josephum Augustinum Orsium, Historiæ Sanctorum Barlaami & Josaphati ejus studio editæ præmissa; hisce veritatem illorum Martyrii fabulosis tametsi circumvestiti circumstantiis propugnavit: *Mi sia lecito quì l'addurre in confermazione del mio detto una Storia similissima a questa nostra in quanto alla perfezione, e alla purità della lingua, e questa è la vita di S. Gio: Battista, dove grande avere è riposto di nostra doviziosissima favella, e che perciò di essa sovente si vale la sempre grande Accademia della Crusca nel suo famoso Vocabolario, la qual vita in quest' anno appunto* (1734) *è uscita per la prima fiata alla luce nella Stamperia della medesima Accademia. Or quest' Istoria per la maggior parte è piena di fole, quasi dissi romanzesche, come agevolmente potrà ravvisare chiunque la legge, poiche in essa non troverà cosa vera salvo che i nomi, e poc' altro, che si vede dall'Istoria*

Evangelica essere stato tratto. Lo stessimo si può dire della Storia di S. Maria Maddalena, che di essa per essere nello stesso volume stampata non ho voluto lasciare di far menzione. Quod in vulgaribus Libris, quod in Vulgi accidit opinione super factis ac Personis Evangelicis Baptistæ & Magdalenæ, cur accidere non potuerit Infanticidio? Vel ab errore tamen, factum aliquo vides modo confirmatum, quod illud non nude quidem, instar Evangelicæ Historiæ, omnes tamen, excepto uno Flavio, uti certissimum retulerunt. Quare illum Editores Scaligeranorum errasse videntur errorem, eadem videntur argumentati ratione, qua Batavi quidam, exeunte Sæculo elapso, quo Synopsim tradentes funereæ nescio cujus Pompæ apud Italos celebratæ, in qua plurima recitata fuerant Guarinianæ methodi, nunc eliminatæ & antiquatæ carmina, inferre aperte perrexerunt, *que les Nations Septentrionales regardent presentement l'Italie comme un Païs perdu pour les Sciences*. Ceu omnes Scientiæ ab arte Poetica penderent, & Italia veris tunc ac Petrarchicis carens Vatibus, omni etiam genere Musarum caruisset; ceu non gavisa fuisset tunc Italia Viris Cll. Segnerio, Bellino, Bellorio, Magliabechio, Averaniis, Gravina, Crescimbeno, Menzino, Redio, Lana, ac Norisio. Hæc, inquam, argumentati sunt ratione in facto Infanticidii Adversarii. Valeret enim tunc negativum,

Bibliotequ. Universel. Tom. VI. p. 205.

sive

ſive ab Flavii ſilentio deſumtum argumentum, ſi repertum in Matthæi Evangelio teſtimonium, ſi Kalendaria ac Martyrologia, ſi Diptycha Eccleſiæ emendata, interfectorum Infantium maximam repræſentaſſent umquam copiam.

Primi qui populari Opinioni Catholica videntur occurriſſe in Eccleſia, doctiſſimi fuere Bollandiani, qui in Adnotationibus ad Ephemeridas Græco-Moſcas, ubi hæ de Infantibus loquuntur, hæc optime ſubjiciunt: *Eorum numerum, inquiunt Græci in titulo, fuit millia quatuordecim. Non exiſtimo tantum fuiſſe, cum Bethlehem Oppidum parvum fuerit, nonniſi ſeptem paſſuum millibus Hieroſolymis diſtans, & fines ejus in quibus omnibus occiſi Pueri non admodum magni poſſint concipi. Itaque ad ceteras Græcorum fabulas iſtum quoque numerum adjicias licet.* Vulgari tamen eſto errori aliqua adverſentur ratione Bollandiani, apertam adhuc tamen non ingerunt atque ſat idoneam veritatis ſpeciem, tepido illo ſignificandi modo: *non exiſtimo tantum numerum fuiſſe.* Tale enim hoc eſt in loco erratum Græcorum, ut ſeveriori cenſura dignum videatur, nec adeo leniter erat procedendum, ubi, Tom. I Act. SS. Maii.

Si tantum ſpectes hominis caput, Hectora credas,
Si ſtantem videas, Aſtyanacta putes.

Longiſſime quippe & infinitum prope ab illo, quem Græci exiſtimarunt, numero, numerum abeſſe Puerorum Bethlehemæ reipſa interfectorum

rum evincere pluribus proclive erat; nec Græçi tantum erant emendandi, sed etiam nostrarum homines regionum; ubique scilicet & semper Populus ut Populus, qui in insolitis & impossibilibus solum sibi adulatur insaniens & plaudit, & infinitum adfert sobrietati ac judicio Ecclesiæ detrimentum. Non gestit illa quidem Inimicorum placitis moveri; sed hac simplicitatis tamen cura, hac Œconomia tandem viam ipsis sternit ut vetus ad Ovile reducantur. Quotusquisque enim est, qui haud semel moderatiorum Protestantium in Operibus non legerit, futurum, ut, si Sirmondiana omnes ac Mabilloniana moderatione ageremur, Ipsi hac in re nostram descenderent statim ac facile in sententiam? Clariori usus est Oratione sincerissimus noster Serrius, qui de Christo & Virgine ejus Matre agens exiguam fuisse Infantium interfectorum classem ita demonstravit: *Puerorum cæsorum numerum non*

[illegible]c.XXXIX. *definivit Evangelium, nec quotus ille fuerit ex priscis Patribus liquet. Græci in suis Menologiis, & Æthiopes in Liturgia sua numerum extendunt ad quatuordecim millia, præter omnem veri speciem. Quandoquidem Bethlehem viculus dumtaxat erat, imo Castellum, uti legitur Johannis VII. 42., cujus etiam fines angustissimi erant, extra quos Carnificinam illam non extendit Herodes. Quis porro sibi fingat, in tam angusto terræ angulo, spatio duorum dumtaxat annorum, quatuordecim Puerorum millia*

lia in lucem prodiiſſe? Imo iis longe plura? Siquidem, ultra Pueros illos occiſos gladio, alii intra biennium illud nati, perinde fuiſſent ante Carnificinam illam morte ſublati. Pari etiam circiter numero intra biennium illud in lucem prodiiſſent Puellæ in eo occiſorum Puerorum numero minime computatæ; cum in eas ſævitum ab Herode non fuerit, a quibus nihil ſibi timere poterat, qui Chriſtum marem, non fœminam fore, non ignorabat. Pueri ergo utriuſque ſexus ſupra triginta millia intra biennium nati fingi deberent in Bethlehem, & finibus ejus, ſi quatuordecim millia Puerorum maſculorum Herodiano gladio cecidiſſent; quod quis credat? Cum vix totidem in populoſa Provincia biennio naſcantur. Is itaque Puerorum Bethlehemi occiſorum numerus, ad ceteras Græcorum fabulas amandandus eſt. Quamquam magnum pro conditione loci fuiſſe numerum non negaverim. Quibus equidem Sapientiſſimi Viri verbis eſto Græcorum fabulæ videantur modo prima ſpecie oppugnatæ, at innuitur adhuc tamen quantum ſatis eſt, exiguam maxime fuiſſe in ſe ſpectatam Infantium illorum copiam, aliqualis licet relate ad viculi conditionem veluti momenti, nec illis cum fabulis ulla componi ratione poſſe; aſt immaginari potius numerum debere, aliquam habentem miſera cum Villula proportionem. Poſt Bollandianos doctiſſimos, & Serrium, Graveſonus, & alius Scriptor Infantium adhuc Bethlehemiticorum copiam

piam

piam propugnarunt. Sed quare? Non alia profecto ratione, nisi ut hic Serrio contradiceret, ille ut adversam tueretur Bollandianis opinionem. Tantum in animis aliquando potest, altasque radices egit partium studium. Horum ego Scriptorum Opera, qui sustinere possunt, ut vel sibi denique displiceant, si tamen Plebeculæ adulentur, cognitamque veritatem vel in Hoste oderint atque oppugnent, nauci facio.

Exiguum autem hujusmodi Martyrum illorum numerum in caussa fuisse, cur eorum necem sua indignum duxerit Historia Josephus, doctissimi Scriptores sensisse dignoscuntur. Ittingius in elaboratissimis Prolegomenis ad novam Flavii editionem hæc habet: *Quantum ad Historiam Bethlehemiticam attinet a Josepho omissam, Vossius in Chronologia Sacra, quam ad mentem veterum Hebræorum, & præcipue Josephi exposuit, non se mirari dicit, quod Josephus Infanticidii illius Historiam prætermiserit, cum post tot crudelitatis exempla Hierosolymis & per totam Palæstinam edita, post sublatos diversis suppliciis tot filios, Uxores, Proximos, & Amicos, non magna res fuisse videatur, quod Herodes unius Vici, & adhærentis Territorii Infantes sustulerit, quorum stragem non adeo magnam fuisse putat, cum non omnes, sed mares tantum, & qui intra bimatum essent, cæsi fuerint.* Idem sensit etiam Grotius in Commentario ad Caput alterum Matthæi ita scri-

fcribens: *Certe laniena illa Infantum, aut ob raritatem habitantium in eo tractu, aut quia tumultus seditionisve obtentu, dissimulato Regis imperio, fuit peracta, aut denique quod majoribus Herodis sceleribus obscuraretur, minus nobilis fuit, quam ut ad Augusti aures perveniret; quippe cum nec Josephus Scriptor eam diligens meminerit*. Celebris idem habet Natalis Alexander in Commentario ad eundem Matthæi locum. *Josephus*, inquit, *verbo tantum Christi meminit, omnia quæ a Christo, aut circa Christum gesta sunt, silentio præteriit. Quid mirum ergo, si stragem in Vico ignobili, & ejus Territorio, Christi occasione editam prætermisit?* Duhamelius, eodem in loco, sive in Adnotationibus ad hoc Scripturæ Sacræ factum, scribit: *Josephus hujus nefarii sceleris nullam facit mentionem, quod forte id pauci duxerit, Infantes scilicet illius Urbis occisos fuisse*. Ceteris fusius demum clariusque illustrissimus Familiæ nostræ Scriptor Thomas Vincentius Monelia assertum nostrum suo confirmat testimonio. *Sed quia*, inquit, *Evangelicæ Historiæ fides ab impiis lacessita vindicanda est paucis, animadvertere est operæ pretium, non adeo mirum videri, quod Ethnici Scriptores, & Flavius Josephus cladem Bethlehemiticam sileant. Siquidem non ingens quædam & populosa Civitas fuit Bethlehemum, sed exiguum Oppidum, cujus ager angustis limitibus coercetur: nec quondam Puerorum vix natorum vitæ adeo consultum fuisse tralatitium* Diss. I. De Ann. Christ. Cap. 1.

 est,

eſt, & lippis atque tonſoribus notum. Quapropter recte ad Poſſinum ſcribit Papebrochius de finibus ejus agri. Quos tamen fines non magnos debemus nobis fingere, ſic ut ipſam Jeroſolymam, immo & montana Judææ complectantur, ſicut faciunt qui numerum occiſorum augere volunt, ipſumque Johannem Baptiſtam vocant in conſortium periculi, a quo eum mater Eliſabeth in ſpeluncam fugiens liberavit: ſed debemus eos ab ortu & Septemtrione perquam exiguos concipere, qua ſcilicet fines Beniamiticæ Tribus Oppidum reſpexit, laxiores autem verſum meridiem, & Occaſum, atque ad unam circiter leucam extenſos. *Id ipſum diu antea Sanctus Epiphanius ſenſerat agens de Auguſti Edicto & Bethlehemi Incolis: (de Hæreſi Alogorum)* Tum enim deſcriptio habebatur, & qui bellorum temporibus quæ ſub Machabæis extiterant diſperſi fuerant, quovis terrarum pervaſerant, adeo ut pauci omnino Bethlehemi remanerent. Quare in quodam Evangeliſtarum Exemplari Davidis Urbs dicitur, in alio vero Vicus appellatur, quod agrum haberet anguſtum. Hucuſque Epiphanii verba a doctiſſimo Monelia deſcripta. Hiſce vero omnibus ex teſtimoniis noſtra confirmatur maxime ſententia, haud erraſſe Flavium ſcilicet, univerſali Gentis ſuæ in Hiſtoria Infanticidium omittentem; erraſſe nonnullos ex oppoſito Pſeudo-Criticos, illud in loco non ſuo perperam quærentes.

Jam

Jam vero quum & præconcepta Adversariorum hypotesi de corruptione Codicum Sacrorum, relate ad Infanticidium tamen adsit Consensio Codicum omnium Matthæi, adsit silentium eorum qui Evangeliis adsuta adnotarunt; quum in Periocha Bethlehemiticam describente stragem invenire sit character dictionis ac Personæ Evangelistæ; illamque sincerum fœtum esse hebraismi evincant, & subjecta Prophetia; nec ulla adferri sat idonea possit caussa, cur Bethlehemiticum quis Evangelio adsuerit Infanticidium; illa quum narratio nil contineat Herodis moribus, aut Historiæ Flavii adversum; quum, tacite licet ac implicite, Infantium Cædem tamen ipse innuerit Josephus, de qua tot exstant Patrum, tot veterum Scriptorum, ipsorumque etiam Ethnicorum testimonia; inferendum procul dubio est, nullius esse ponderis erutum e Josephi silentio evertendis illustribus Puerorum Bethlehemiticorum coronis argumentum. Prætermisit porro illud facinus Josephus, non quod imitari voluisset Nicolaum Damascenum, non quod in Historia cavisset sua, ne Romani mentem adverterent ad Oracula de Messia, & expectationem illam Judæorum, sed ob exiguum potius interfectorum numerum, qui cælestem potius, vel in vita degentes, quam Judaicam ad patriam, Judaicas ad res, Judaicam ad Historiam pertinebant; probe factum profecto, vel si adversus

tot Sapientiſſimorum Hominum judicia contraria Joſepho, Hiſtoricum tueamur hunc, ceu omnino diligentem. Salvete igitur Sanctiſſimi Innocentes, flores & veræ Martyrum Primitiæ, Salvete feliciſſimi, quorum animæ, poſt brevem caducis hiſce in Carceribus ſtationem,

Devenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, Sedeſque beatas;

vel Flavio ſilente,

Nulla dies umquam memori vos eximet ævo,

vel dubitantibus erga Sanctorum gloriam male animatis,

Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur Apes, dum rore Cicadæ
Semper bonos, veſtrumque decus, laudeſque manebunt.

FINIS.

F. CASTI INNOCENTIS
ANSALDI
ORDINIS PRAEDICATORUM
DE LOCO JOHANNIS
Apud nonnullos Patres a Vulgata diversimode lecto
DISSERTATIO.

PRAEFATIO.

DISSERTATIUNCULAM de loco Johannis apud nonnnullos Patres a Vulgata diverſimode lecto in apricum profero, erudite Lector. Miraberis exiguam molem paucas ad pagellas vix ſuccreſcentem. Minus fortaſſe malum illa erit. Extendi potuiſſet; aſt quis inde fructus Italis, ſi paucos excipias, noſtris, magnos æque ac parvos Libros deſpicientibus, quidve ipſi ſibi velint fortaſſe ignorantibus? Uni aut altero legenti rem indigitaſſe ſatis erit. Num enim inconſulto multa Græcis, Latiniſve, plura Interpretibus abſque diſcrimine, ac Germanico prorſus more, ſuffurarer, num facerem ex omni ligno Mercurium, ut grande Volumen exiret inde, hirtum ac delumbe tamen, confragoſum, ubi ſi quid pulchri intermicaret, improba rerum tamen ſtrue labefactaretur? Facile illud quidem fateor, aſt hujus cum difficillimo Sæculi ingenio adcommodatum minus. Hiſce ſiquidem temporibus, quorum de languore ac faſtidio querimur, debite adhuc Sacram tractare Philologiam teneri ajunt ipſos Aſcetarum etiam Diſcipulos. Horum in gratiam Hebraicæ hoc Litteraturæ Specimen emitto, quo foveantur magis, majoreſque capiant animos, qui hac via incedere cœperunt. Satis profecto mirari haud poſſum, mecum ipſe perpendens, quantum hujuſmodi neglexerint retroacta ætate Studia, qui tot habuere in majoribus ſuis Exempla ac Specula, qui tot acti erant ad ea perſequenda ſtimulis. Bene cogitabat Gallus Scriptor, Anonymus ille quidem, haud omnino ignotus tamen, Eccleſiaſticæ certe Societatis Sodalis, in Libro, cui titulus: *Memoires Chronologiques & Dogmatiques pour ſervir a l'Hiſtoire Eccleſiaſtique depuis 1600. juſqu' en 1716. avec des Reflexions & des Remarques Critiques*, hæc ad annum ſcribens MDCX. 25. Julii pag. 127. Tom. I. *Le Pape ordonne a tous les Religieux d'avoir dans leurs Etudes*

Arabicamque Linguam longe lateque per Ordinis Provincias disseminaret; quod optabat etiam feliciter consequutus? Subdit laudatus *Le Boeuf*, qua tempestate Tartariæ quidam Rex nonnullas Persica Lingua scriptas Epistolas ad Sanctum dedit Regem Galliæ Ludovicum, sola Dominicani hominis ope verti eas Latinam in Linguam potuisse; quo etiam tempore pene omnia Aristotelis Opera e fontibus Græcis, ejusque Arabica ex Lingua Enarratores in Latinam ait a Nostris fuisse translatos. Nec humaniorum ac severiorum, Gallicis maxime in Cœnobiis, illa defuerunt tempestate studia Litterarum. Josephus Scaliger, in Libro, in quo de omnibus, Veteribus nempe ac Recentioribus, SS Patribus, Ascetis, doctis, indoctis, Catholicis, Protestantibusque vehementissime maledicit, scribit tamen: *Les Jacobins a Agen & a Bordeaux ont toujours estè doctes, & faisoient ordinairement la Philosophie, Dialectique, Rhetorique.* (in Scaligeran. Edit. Colon. 1695. p. 200.) Subsequuti inde universo in Ordine immortales Viri Orientalibus in Linguis exercitatissimi, a quibus etiam dubitare nemo potest, universam profecisse, non dicam Hebraizantium Rempublicam, sed etiam Ecclesiam. Satis recensere sit Jacobum Magdalium, Sanctem Pagninum, Raymundum Martinum, Franciscum Forerium, Augustinum Justinianum, Josephum Ciantem, Oleastrum, Malvendam. Satis memorare Sixtum Senensem, Goarum, Combefisium, Lequienum, Vanslebium. A renatis in Ordine Litteris (Epocha sat recenti, si loquimur de Cœnobiis Italiæ) magna sui cum laude, suorumque cum existimatione Nominum, hocce in pulvere cœperunt desudare Orsius, Bremondus, Ricchinius, Agnesius, Milante, Monelia, Mamachius, Vincentius Albertus Elena, alii, qui in arcanis versantur studiis, eaque fovent, promovent, dilatant, atque commendant. Quod si raros dicas nantes in gurgite vasto, scias celebriores me tantum ac notissimos memorare, proceras modo indigitasse arbores, ac spicas hoc in campo reli-

quisse cui placuerit colligendas. Quot enim enumerat Echardus? Quid quod & non omnibus datum est adire Corinthum; non omnibus solertissimum datum est, ut iis, quos nominavi, ac prope divinum ingenium, quo rei difficultatem, & non modica obstacula valeant feliciter superare. Oppressi oportet non sint, ac infinitis immodicisque aliis enervati curis, qui ad operosa adeo Studia manuduci postulant sacrorum Cœtuum Adolescentes. Accedebat vero retroacta ætate Orientales erga Linguas negligentiæ innocens prope dixerim caussa, & quæ veniam mereri videretur. Sensim nempe apud Ascetarum Vulgus crevit adeo Scholasticarum, ut ajunt, Doctrinarum opinio, ut duobus posterioribus demum sæculis mirum vix, si præ Scholasticorum Præceptorum scriptis nil ultra legendum crederet, nil ultra venerari posse videretur, nil habere aliud quod edisceret, imitaretur, illustraret, propugnaret; quumque Præceptores illi maximi Linguarum peritia plurimum carerent, eorum imitatores non turpe modo eas nescire haud duxere, sed vanum potius de illis cogitare, & adversus eam quæ nimium denique obtinuerat studiorum methodum, cui adacti erant plusquam militari sacramento. Huic igitur immodicæ profecto Magistrorum illorum existimationi asserendam arbitramur Orientalium Linguarum apud sacrorum Cœtuum gregales homines, duobus quæ præcessere sæculis, negligentiam. Haud inficiamur quidem, Scholasticos illos summos in Quæstionibus temporis Præceptores, Viros maximos fuisse, præconiis laudeque, & quos nostri aliqua sibi ratione ad imitandum proponerent etiam dignos. Verum eo tamen habendi erant in pretio, ut alii demum haud contemnerentur; ita eorum erat vestigiis insistendum, ut ea quoque, quæ ignota ipsis erant studia haud inepte prorsus negligerentur. Contigit namque, ut dum Sapientes maxime fieri eorum Imitatores vellent, veram magis non inquirerent, seu perfectissimam Sapientiam, summumque in Arte crederent, quod summum

erat

erat modo illius temporis Artificum; venia tamen, uti dicebam, utcumque digni, quod ita sentire perrexissent voluntatis minus vitio, quam humanitatis; cujus aliquid simili in re passi illi etiam dicuntur Viri, qui, de Litteris ubi agitur, nullis se credunt agi præjudiciis. *Les Anglois*, ait celebris, & eorum gloriæ addictissimus olim, nempe in tempore, Voltærius, Epistola inter Philosophicas XVIII., quæ super Tragœdia versatur, *avoient deja un Theatre aussi bien que les Espagnols, quand les François n'avoient encore que des Treteaux. Shakespear qui passoit pour le Corneille des Anglois fleurissoit a peu près dans le temps de Lopez de Vega; il crea le Theatre; il avoit un genie plein de force, & de fecondité, de naturel, & de sublime, sans la moindre etincelle de bon gout, & sans la moindre connoissance des Regles. Je vais vous dire une chose hazardée, mais vraie, c'est que le merite de cet Auteur a perdu le Theatre Anglois. Il y a de si belles Scenes, des morceaux si grands & si terribles dans ses farces monstrueuses, qu'on appelle Tragedies, que ses Pieces ont toujours eté jouvées avec un grand succès. Le tems qui seul fait la reputation des Hommes, rend a la fin leurs defauts respectables. La plupart des Idées bisarres & gigantesques de cet Auteur ont acquis au bout de deux cent ans le droit de passer pour sublimes; Les Auteurs modernes l'ont presque tous copié; mais ce qui reussissoit dans Shakespear, est sifflé chez eux, & croyez que la veneration qu'on a pour cet Ancien augmente a mesure qu'on meprise les Modernes. On ne fait pas reflexion qu'il ne faudroit pas l'imiter, & le mauvais succès de ces Copistes, fait seulement qu'on le croit inimitable.* Res profecto ita si se habeant, ignoro an Scholasticos Præceptores Anglo in Poeta magis, an eorum potius Discipulos invenias in Anglis; adeo diverso sub etiam Cælo, diversa cum indole, fuere semper mortales tamen ejusdem humanitatis filii. Ceterum reformata prorsus apud nos etiam in præsens est præterita hæc Studiorum ratio: Scholasticos illos summos Viros commentamur, imitamur; ast

quantum modo par est. Suum quæque Schola, ut ajunt, speculi instar habet Præceptorem; sed fatetur una, quod Ille

Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum,
Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur.

Suum igitur quæque Schola in præsens sequitur Magistrum; ast non ut olim, ceu

Iste sapit solus, reliqui velut umbra vagantur;

neque rerum Scholasticarum studium reliquis ab Disciplinis nostrorum animos avocat Sodalium. Id profecto si elapso apud nos perpetratum fuisset sæculo, haud obscura nocte ac oblivione sepulti prope jacuissent tot ex nostris Majorum Gentium Scriptores, nec visi fuissent Sapientis instar a Seneca optati, qui, tamquam Phœnix, anno demum nascitur quingentesimo; majori Litteraria in Republica fulsissent luce Cardinalis de Turrecremata, Canus, Carranza, uterque Soto, Sixtus Senensis, Vielmius, Catharinus, Malvenda, Campanella, alii, Originales, prope dixerim, ac Classici Scriptores, quos celebrare ad me non adtinet; haud tantam demum Munsterus ex Pagnino, haud tantam ex Martino Galantinus, nec apertam adeo fecissent nonnulli Granatensis ex Operibus rapinam; Martinus ac Ciaconius exteros non postulassent Editores. Nusquam nobilior certe, aptiorque inveniri potuit materia optimo perfectoque ex Domesticis conficiendo, si fuisset in fatis, ædificio; nec tantam habuisse liquet, quorum stellatum magis Cælum visum est, nullo scilicet apud Ipsos Sole faciente solitudinem stellarum. Verum, uti inquiebam, mutantur tandem sæculis animorum genii, prisca demum apud nos renovatur studiorum ratio, redit Musarum amor, humaniorum redeunt commercia Litterarum. Jam post elaboratissimam Querif & Echardi Bibliothecam, non amplius cum fictitio *Sainjore*, videlicet Simonio, queri aliquis in præsens potest, *que les Dominicains n'ont point de Catalogue exact de leur Ordre*; quodque

que apud Adolescentes nostros generale esse incipit Encyclopædiæ studium (futurum majus in dies, nisi obstet, uti adhuc, mala vis, & trium ille Litterarum Tyrannus MOS) ceteris videre quoque est Ecclesiasticis in Cœtibus. Vel Ecclesiasticorum magna pars in Sæculo, uti loquimur degentium, recte sapere incœpit; cujus laudem rei Sapientissimo olim Purpurato Patri PROSPERO LAMBERTINO, quem nunc summum veneramur, profecto Sanctissimum, Pontificem, deberi nemo dubitat, quod Ecclesiasticorum animos ad Ecclesiasticæ Historiæ ac Eruditionis studia egregie excitarit, ac præcipuus exstiterit inter illos, qui Sacram Theologiam ab hallucinantium Arabum tenebris, veluti splendentissimam facem ab cœcutientis Tædiferi manu docuere eripiendam: annulos iccirco aureos, atque insignem meritus Tiaram. In aurea Ille Præfatione ad Commentarios super festis Christi diebus atque Virginis, de Sacræ Historiæ ac Ecclesiasticæ Eruditionis necessitate Viro Aris addicto loquens, hæc cedro dignissima scribit verba: *Per questo studio è d'uopo, che ben si possieda la lingua Latina. Per questo studio sono necessarie le Lettere umane; non avendo sdegnato i primi Maestri della più fina Teologia di sudare su i Libri degli Scrittori Gentili, desiderosi d'approffittarsi dello stile, e della loro eloquenza. Per questo studio è necessario un previo corso di buona Filosofia, un corso di buona Teologia, in cui chi la legge alle pure Questioni scolastiche vada unendo Questioni polemiche, ed inserendo varj punti di Storia Ecclesiastica, e d' Ecclesiastica Erudizione. Il nodo dunque dell' affare consiste, che o non si permettono i detti Studj, o se sono stati premessi, non si prosiegue ciò, che resta. Si fa punto, si mette, come suol dirsi, il tetto, si passa in ozio il rimanente della vita; e chi ha fatti i corsi, si contenta degli Scritti del suo Maestro, de' quali poi anche in breve tempo si dimentica, e quando per impossibile ne conservasse un' esatta memoria, ciò nemmeno bastarebbe, non essendovi Maestro che sappia tutto, e non potendo il Maestro porre ne' suoi Scritti quanto avrà vedu-*

veduto, e letto ne' Libri degli altri; e per coprire questa loro vergognosa condotta, a mezza bocca si dice, che basta il corso della Teologia Scolastica, si và motivando l'inutilità degli altri predetti Studj, e chiaramente poi si và dicendo, che non v'è il comodo di poterli fare. Quali siano i nostri sentimenti verso la buona Teologia Scolastica, quanto grande sia l'utile che da essa la Chiesa ha ritratto, e ritrae, l'abbiamo abbastanza espresso altrove, e dimostrato: ma bensì replichiamo non esser essa bastante, ed esser assolutamente necessario all'Ecclesiastico, per ben compire la sua incombenza, il far passaggio agli Studj poc'anzi accennati. Hucusque Sanctissimus Pontifex, cujus sensus animo eorum omnium qui in spem vivunt Ecclesiæ alre insidere deberent. Hisce actus jam ego, quippe olim lectis, tanti Viri monitis, ad severiores Disciplinas animum intendi; iccirco, cum exercitationis caussa, tum etiam præcipue, ut quamplurimos Instituti nostri in hæc studia bene animatos egregiæ indolis Adolescentes incitarem magis, hoc Hebraicæ Litteraturæ specimen contexui in præsens. Datum fortassis erit, ut ipse saltem

fungar vice cotis, acutum
Reddere qua ferrum valet, exsors ipsa secandi.



DE

DE LOCO JOHANNIS

Apud nonnullos Patres a Vulgata diversimode lecto

DISSERTATIO.

Accidit nuper, ut Vir Cl. qui multa forte mecum docto sermone serebat, miraretur vehementer, cur tot inter Evangeliorum Interpretes, tot inter, qui divinis illis de Codicibus etiam nuperrime scripserunt, nec unum quidem reperire liceat, ex iis, quos viderat, qui locum illum Johannis I. 13. non animadverterit, diverso modo legi a Tertulliano; quod profecto fuisset ad examen aliquod saltem revocandum; nam quum in Vulgatæ nostræ Codicibus reperiatur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo nati sunt;* Africanus Pater ex opposito legit, *qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo natus est;* quod Christo asserit, de quo sequitur, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Et prima quidem specie, subdebat, videtur Orationis Evangelicæ series ac sensus Lectionem Tertulliani postulare. Quid enim aliud illo in loco Johannes satagebat, nisi æternam Verbi ge-

ne-

nerationem explicare, ejusque Divinitatem adversus Hæreticos adstruere? Itaque, postquam ostenderit Verbum, Deum esse, Lucem, & Vitam, ita pergere videtur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo natus est, & Verbum caro factum est, & babitavit in nobis.* Quo in sensu omnia cohærere mirifice videntur, contra quam accidit in communi Lectione, in qua nonnisi per allegoriam de Credentibus dici potest, eos, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo natos esse. Reapse, si bene memini, nonnisi ex reconditioribus Græcæ & Hebraicæ Linguæ penetralibus, ceu ἐν αἰνιγμῷ prolata illa essent, communem ad sententiam Textum trahit Maldonatus. Porro scribebat Johannes adversus Cerinthum, & Ebionitas, adversus eos, qui ex humano semine Christum editum perperam docebant, uti ex Eusebio notum, Hieronymo, aliisque. Itaque in ejus Nativitate recensenda equum est, Ipsum Ecclesiæ fidem declarasse, credentis procul dubio, Verbum *non ex sanguine, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo tantum fuisse generatum*; eademque Johannem uti voluisse phrasi, qua usus est hac in re Matthæus I. 20. *Quod ex ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

Re-

Respondebam Ego: pervium videri, aliquam Tertulliani tempore fuisse Versionem, ab Hellenista aliquo fortasse concinnatam, seu ab Interprete Latino inter eos qui ad Fidem ex Circumcisione venerant, quæ ita, uti apud Tertullianum, legeret. Inculpate autem id contendebam fortasse factum, ratione Hebraismorum, quibus illud scatet Initium Evangelii Johannis; unde ab aliquo ex anomalia sic explicata creditum, satius sensum verborum, de quibus agebamus, cum antecedentibus convenire atque consequentibus; sententiamque pergebam confirmare meam pluribus, quæ inde retractare statui, quo majorem accipiat lucem laudata Tertulliani lectio, proindeque, quanam idonea ratione solvi quæstio possit, cognoscatur.

Jam vero animum primum subiit, hac de re nescio quid olim me apud Toletum, ni fallerer, lectitasse. Nec sane mea me decepit opinio; aperto scilicet vix Codice, ipsum, eadem ratione ac Vir Cl. quo cum disputabam, de silentio Interpretum super illa Tertulliani Lectione admiratum fuisse intellexi. En ejus verba: *Quod autem ad verba attinet, miror Expositores, quotquot hunc locum interpretati sunt, ex his quos legi, prætermisisse quiddam consideratione fortasse non indignum, quod nimirum aliter hunc locum graves & antiqui Doctores legerint. Athanasius enim Lib. II. de unita Deitate Trinitatis, & Tertullianus Libro de* Annot. XXXVI. In Evang. Joh. Cap. I.

Carne Christi legerunt in singulari, Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate Viri, sed ex Deo natus est. *Quamquam Athanasius alibi legat, ut nos communiter legimus. Et haec Lectio sensui est valde consona, & mysterii plena. Continuatur enim praecedentibus sic, ut ratio quaedam sit, quare Credentes filii Dei fiant; nempe dedit potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine ejus, qui filius Dei est naturalis & verus, & non natus ex sanguinibus, cum voluntate carnis, & voluntate Viri, qui Christus est: quasi dicat, ob id sunt filii Dei isti facti, quia credunt in eum, qui est verus & naturalis Dei filius & non filius tantum hominis, ut ceteri nati ex sanguinibus, & ex concupiscentia carnis & Viri; quia ergo credunt filium verum Dei & naturalem, filii etiam fiunt Dei, quamvis longe aliter quam ille, in quem credunt. Huic Lectioni respondent quae sequuntur*: Et Verbum Caro factum est; *idest, hic qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis & viri, sed ex Deo divina generatione natus est, factus est homo. At quia Lectio nostra est communissima, ea est tenenda, & sequenda: satis sit tantorum Doctorum retulisse Lectionem*. Hucusque Toletus, cujus singularissima de animadversione miror maxime, mentionem non fecisse Simonium in Historia Critica Novi Testamenti & Interpretum ejus, Editionis saltem quam habui prae manibus, ubi de Commentariis agit Toleti; hujusmodi

modi enim, ni fallor, ea erant quæ ſeligi merebantur, non continuatæ illæ, & quæ numquam finem habent ſimiles in omnibus de Gratia & libero arbitrio Enarrationes. Verum, ut aperte ait de Commentario Simonii in Hiſtoria Univerſali Clericus: *Il ne faut pas s'imaginer, que Monſieur Simon ait lu avec ſoin toutes les Ourages dont il parle. Il paroit, autant qu'on en peut juger après une Lecture exacte qu'on a fait de ſon Livre, qu'il s'eſt d'abord proposè un certain nombre de paſſages du N. Teſtament, en aſſez petite quantitè, qu'il a examinè ce que les Auteurs qu'il cite ont dit ſur ces endroits-la, & que c'eſt par cet examen, qu'il juge de leur methode, de leur doctrine, & de leur habiletè. Or cela l'engage dans de ſi frequentes redites, qu'il n'eſt pas poſſible de ne ſe point ennuyer a les lire. Les paſſages de l'Ecriture ſur le Concours de Dieu, ceux dont on ne convient pas pour le ſens avec les Ariens, l'Hiſtoire de la femme adultere, qu'on ne trouve pas dans pluſieurs Exemplaires, l'endroit de Saint Matthieu où l'on lit le Prophete Jeremie, pour le Prophete Zacharie; & celui de S. Jean ou il y a Bethabara pour Bethanie, ſont les endroits que M. Simon a choiſis, pour juger de la capacitè des Commentateurs, de leur methode, & de leur doctrine.* Simili prorſus methodo uſus videtur in Patrum Excerptis concinnandis etiam Dupinius. Sic maximis in Urbibus ubertate Codicum, ac Indicibus rerum memorabilium locu-

Tom. XXIII. p. 431.

pletiſſimis, ſpiſſa facile poſſunt, celerique gradu, congeri Volumina.

Præter Toletum vero, Lectionis diverſitatem apud Tertullianum animadverterunt etiam Barradas, ac Silveira, in ſuis Evangeliorum Enarrationibus; etſi diverſitatem illam animadvertiſſe contenti, nil ejus de Origine dixerunt. Dum autem errat Toletus commemorando nobis Athanaſium de unita Deitate Trinitatis, opinioni viſus eſt favere meæ de Verſione aliqua antiqua laudatam Lectionem exhibente. Verba ad quæ reſpexit Toletus hæc ſunt: *Sed ex Deo natum eſſe* (Chriſtum) *Johannes teſtatur. In ſua venit, & ſui eum* Lib. II. *non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus: qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt.* Haud eſſe Dialogos, ſeu Libros illos Athanaſii certiſſimum nunc eſt, Sculteto, Bellarmino, Riveto, Oudino, Natali Alexandro, ceteris omnibus Eccleſiaſticis Criticis auctoribus; certiſſimum imo eſt, ſcriptos illos fuiſſe a Vigilio Tapſenſe, Latio primum ſermone concinnatos, Græcam inde in dialectum verſos. Licet autem, ut ex Chifletiana patet Vigilii Tapſenſis Editione, & Montfauconiana Operum Sancti Athanaſii, haud dubitare poſſimus, multis varietatibus mutationibuſque obnoxium fuiſſe Librorum illorum de Trinitate ordinem ac numerum, nec minores in Textum in-

invectas fuisse mutationes, & additiones, vix assumentis carente Libro VI. quem ex vetustissimo Codice Capituli Veronensis edidit Cl. Josephus Blanchinus; ast tamen laudato in testimonio mendum irrepsisse haud crediderim; sententia quippe, quam Scriptor ille satagit confirmare, illo reapse Textu inniti debebat; interrogatus enim ab Hæretico, an nomen Patris esset in Filio ac Spiritu Sancto? affirmativè Catholicus respondet, quod Christi nomen illius esset, qui *non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri*, nempe, non ex hominibus, *sed ex Deo natus esset*. Novam hanc vero Lectionem in vetustiore & doctissimo habemus Patre, nempe Irenæo, cujus textum plurimum habemus emendatum; sic enim Ille Lib. III. Cap. 19. Editionis Massueti: *Cognoscit autem illum is, cui Pater qui est in Cælis revelavit, ut intelligas, quoniam is qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri natus est filius hominis, hic est filius Dei;* eandemque Lectionem subobscure innuit alio in loco idem S. Pater scribens: *Et quoniam hic est Emmanuel, ne forte tantum eum hominem putaremus; non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex voluntate Dei Verbum caro factum est*. Lib. III Cap. 16. Scripturæ autem Verba tunc adferre Patrem, character diversus, quo ex Editoris mente scripta sunt, satis innuit. Itaque quum, vel Hieronymi ætate,

pro

pro varietate Regionum diversa ferrentur Exemplaria, in ea me maxime confirmabam sententia, aliquam fuisse, quæ per Ecclesias circumferretur, Versionem in qua Textus, uti a Tertulliano relatus, reperiretur.

Præf. in Paralip.

Vix tamen Tertulliani Libros adii, ut statim hæserim, atque a concepta opinione dimoveri pene cœperim. Hunc enim si Scriptorem legas priore in loco, ubi testimonium, quo de agitur, scriptum est, cernis Africanum Patrem arguere Valentinianos quod ita legerent, non vero juxta receptam interpretationem. En Tertulliani verba: *Quid est ergo: Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo natus est? Hoc quidem Capitulo ego potius utar, quum adulteratores ejus obduxero. Sic enim scriptum esse contendunt. Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex Viri, sed ex Deo natus est.* Hoc utique dicendi modo absque ambagibus ostendere mihi videbatur Tertullianus, eam communem non fuisse ac receptam Lectionem ac Interpretationem. Et quidem, quum palmaris, ut ajunt, Valentini error, in eo situs esset, ut Christum diceret spiritale veluti e cælo detulisse corpus, ac quasi per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde accipientem vel mutuantem, ut describit ipse Tertullianus pluribus in locis, exque Epiphanio constat ac Philastrio, proclive omnino videbatur, Hære-

Lib De Carne Christi Cap. XIX. Edit. Pamel.

reticum, ad errorem confirmandum suum, Johannis corrupisse Textum, & ubi legissent alii: *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo nati sunt*, legendum ex opposito Ipsum voluisse: *non ex sanguine, neque ex voluntate carnis; neque ex voluntate Viri, sed ex Deo natus est;* quæ prima specie Valentinianam confirmare videntur maxime sententiam; unde uti mox vidimus, Tertullianus: *Hoc quidem Capitulo ego potius utar, quum adulteratores ejus obduxero*. Quæ quidem ad verba ita doctissimus Pamelius: *Recte vocat adulteratores Scripturæ Hæreticos hoc loco; quia pro eo quod omnia Exemplaria Græca, Latina, Syriaca, & Patres omnes constanter legunt, uti etiam haud dubie Evangelista Johannes*: Ex Deo nati sunt; *Ipsi singulari numero legerunt*, natus est. Erat hoc autem quod mihi de probata veluti olim nova Lectione cogitanti nonnulli respondebant. Quid? inquiebant, numquid infiniti pene desunt, qui tot MSS. Evangeliorum Codices inspexere, singulas eorum paginas, singulas lineas per otium contemplati sunt, qui in eorum apices, qui in chartas diligentissime inquisivere, & quo sæculo, qua manu exarati sint integris a studio partium animis perscrutati sunt? Nullus horum tamen a recepta Lectione recedendum existimavit; impervium enim est novam in admissis Versionibus suspicari, ubi a Vulgata nulli Codices dissen-

ſentiunt, ubi veterem firmat omnium ὁμοφωνία; quorum teſtimonium patens, &, ut ſic dixerim, oculatum, haud verendum, ne quiſquam ſanus non anteponat quibuſcumque ſuſpicionibus ac conjecturis. Valentinianos reapſe κακοφώνως fuiſſe, & in Codicum ſacrorum corruptionem propenſiſſimos arguunt priora verba Capitis XX. ejuſdem Libri Tertulliani de Carne Chriſti, ubi adverſus eoſdem ita invehitur Septimius: *Qualis eſt autem tortuoſitas veſtra, ut ipſam* ex *ſyllabam præpoſitionis officio adſcriptam auferre quæratis: & alia magis uti quæ in hac ſpecie non invenitur penes Scripturas Sanctas?*

Sequitur loco de quo nunc agimus, verbis videlicet ſuperioribus Tertulliani, hæc etiam Periocha, ex qua fortius erui argumentum poſſet adverſus novitatem Lectionis Valentini: *Quaſi ſupradictos Credentes in nomine ejus deſignet, ut oſtendat eſſe ſemen illud arcanum Electorum & Spiritualium, quod ſibi imbuunt.* Videtur certe mihi hæc voluiſſe ſignificare Tertullianus: quaſi Johannes, uti Valentinus vult, ſcribens, non ex ſanguine, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate Viri, *ſed ex Deo natus eſt*; ita, inquam, Evangeliſta ſcribens, alludere ad ſemen illud ſpiritale voluiſſet, quod Valentinus, homini docuerat infuſum, & quo ii, qui juxta Valentinum in Eccleſia erant, imbuti dicebantur; quaſi Johannes excludere a Chriſto ſemen voluiſſet, quod

quod Valentiniani Ecclesiam dicebant, uti ex ipsorum deliramentis patet a Tertulliano latis Libro adversus Valentinianos, Cap. XXV. Quum vero, juxta Tertullianum, opus nullo fuisset modo, ut Evangelista Valentinianorum, ut ita dicam, semen a generatione ac natura Christi excluderet, quod nempe nullo modo ex illo esset Valentinianorum semine Ecclesia; heinc veluti inferebat, opus haud fuisse legere, qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, nec ex voluntate Viri, *sed ex Deo natus est*.

Accedit apud Tertullianum: *Quomodo autem ita erit, quum omnes qui credunt in nomine Domini communi lege generis humani ex sanguine, & ex carnis, & ex Viri voluntate nascantur?* Habes in istis verbis Objectionem Valentini adversus receptam Lectionem. Hoc autem ex argumento quod sibi proponit Tertullianus, vetus confirmari videtur interpretatio. Cur enim adversus illam argumentatus fuisset Valentinus, nisi vidisset opinioni suæ, suæque Lectioni adversari, seu ablatum sibi vetere ac recepto legendi modo locum, quo probaret Christum ex Virgine carnem haud sumsisse? Respondet Tertullianus ex Pamelii Editione: *Etiam Valentinus ipse adeo singulariter, ut de Domino scriptum est: ex Deo natus est*. Aliter autem ego punctandum ducerem. Nempe, post illa Valentini verba, seu post illam Valentini Objectionem, qua dicebat, interroga-

batque: Quomodo ita erit; videlicet, qua ratione legendum erit *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo nati sunt, quum omnes qui credunt in nomine Domini, communi humani generis lege ex sanguine, & ex carnis, & ex Viri voluntate nascantur?* Post hæc, inquam, verba, Tertullianus veteri de Lectione sollicitus regessisse videtur: *Etiam*. Nempe, ita reapse est; hoc quidem nos fatemur atque propugnamus; fidem scilicet, qua qui in Christum credunt filii Dei fiunt, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Dei esse voluntate; ceu allusisset tunc Johannes ad Matthæi locum, quo de
Cap. XVI. 17. fide Petri dixit Christus: *Beatus es Simon Barlona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cælis est;* Johannis saltem ea videtur fuisse mens, quod Epistola sua prima
Cap. V. 1. scripserit: *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est.*

Sequitur apud Tertullianum rursus: *Valentinus ipse adeo singulariter*. Nempe: Verum Valentinus aliter legendum, singulariter legendum ait, *ut de Domino scriptum est: ex Deo natus est*. Valentinus locum esse vult de Domino intelligendum. Tunc quid Tertullianus? Lectionem, seu conditionem accipit, ac permittit, relinquit, concedit ultro Valentino sic etiam, videlicet, legi posse singulariter, quin tamen Valentinianorum error

error ex illa Lectione confirmetur; imo ea utitur *ad hominem* adversus Valentinum, sive contra Adversarium retorquet, ostenditque Lectionem illam *in singulari* Catholicæ non officere sententiæ, sed Valentini potius adversari opinioni. Ita enim Orationem prosequitur Septimius: *Merito* (de Domino scriptum est: & ex Deo natus est) *quia Verbum Dei, & cum Verbo Dei spiritus, & in Spiritu Dei virtus, & quicquid Dei est, Christus. Qua caro autem, non ex sanguine, nec ex carnis & Viri voluntate: quia ex Dei voluntate Verbum caro factum est. Ad carnem enim, non ad Verbum pertinet negatio formalis nostræ nativitatis; quia Caro sic habebat nasci, non verbum. Negans autem ex carnis quoque voluntate natum, cur non negavit etiam ex substantia carnis? neque enim quia ex sanguine negavit, substantiam carnis renuit, sed materiam seminis, quam constat sanguinis esse calorem: ut despumatione mutatum in coagulum sanguinis fœminæ. Nam ex coagulo in caseo vis est substantiæ, quam medicando constringit, idest lactis. Intelligimus ergo ex concubitu nativitatem Domini negatam, quod sapit voluntas Viri & carnis, non ex Vulvæ participatione. Et quid utique tam exaggeranter inculcavit, non ex sanguine, nec ex carnis voluntate aut Viri natum: nisi quia ex ea erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubitaret? Negans porro ex concubitu, non negavit ex carne: quia non proinde negavit*

ex carne, ſicut ex concubitu negavit. Itaque hunc ad locum ita Pamelius: *Iſtud Auctor ex ſententia non ſua, ſed ſecundum prædictam Lectionem adulteratam Valentini; quia numquam in Scripturis alibi legitur illud de Chriſto,* & ex Deo natus eſt. Hoc igitur ex teſtimonio erui videtur tantum, Valentinianos nova illa uſos fuiſſe Lectione ad opinionem adſtruendam Catholicæ ſententiæ adverſam; hocque ex teſtimonio videtur confirmari modo poſſe effatum Cl. Morini, quod nempe *Verſionibus ab Hæreticis elaboratis utiliter uſi ſunt ſancti Patres,* aliquando ſcilicet, ut κατ' ἄνθρωπον ac fœlicius digladiari cum ipſis poſſent.

De Sacr. Text. Sinc. Lib. I. Exerc. I. Cap. I.

Negotium facere tamen omnibus deberet maximum ejuſdem Tertulliani, & quidem (quod mirum infinitum quantum) eodem in Libro de Carne Chriſti locus, in quo oblitus propemodum Africanus Pater, corruptorem ſe vocaſſe Valentinum, quod legendum contendiſſet, *qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt;* adverſus Ebionem Ipſe inde diſputans, Chriſtumque haud fuiſſe ſolum hominem oſtendens, Johannis teſtimonium adverſus Hæreticum adducit illum hanc juxta interpretationem. En Tertulliani verba: *Ideo etiam Marcionem proſpiciens,* (Spiritus Sanctus) *Ego ſum, inquit, Deus, & alius abſque me non eſt. Et cum alias idipſum eodem modo dicit, neſcio*

quas

quas illas Valentinianorum Æonum genealogias pulsat. Et, non ex sanguine, neque ex carnis & Viri voluntate, sed ex Deo natus est, Hebioni respondit. En profecto Johannis locum adversus Ebionem in medium productum juxta Valentini Lectionem, ceu non corrupta foret, sed Spiritus Dei sententiam, ita enunciata repræsentans. Pamelius, qui superiorem ad locum statuerat, Tertullianum jure ac merito Hæreticos Scripturarum Corruptores appellasse, quod insolitam inducerent Lectionem, laudatum mox respiciens ad testimonium subdidit: *Hoc interim mirum, quod eodem modo citet* (Septimius) *illam Scripturam infra*. Haud facilis profecto qui prima specie solvatur nodus. Si enim de Scripturæ sensu tantum, atque Scriptoris Sacri mente sermo hic esset, si de diversis ageretur Africani Patris Scriptis, facile solvi posset; Memini quippe quæ olim docuit Simonius: *Si je ne craignois d'etre long, j examinerois icy en particulier les Interpretations que Tertullien a données a un grand nombre de passages du Nouveau Testament, dans les Livres qu'il a ecrit contre les Heretiques. Bien que ceux qui disputent ne sojent pas toujours exacts, & que cet Auteur en particulier s'abandonne quelque fois a la chaleur de son naturel, on ne laisse pas de trouver souvent dans ses discours des Interpretations literales & judicieuses. On doit neanmoins se precautionner en le lisant; a cause de certaines* Hist. Crit. N. T. P. III. Cap. I.

ex-

expressions, qui ne s'accordent pas entierement avec les notres. Ce qui est commun a la plupart des anciens Ecrivains Ecclesiastiques, qui ne parlent pas toujours comme nous, bien que leurs sentimens fussent peu different des notres. Verum hic non modo, eodem in loco, eodem in Libro ea utitur Septimius Lectione, quam ante pauca dixerat corruptam, sed non sensum Spiritus Sancti, non Scriptoris Sacri mentem, sed ipsius potius verba, ipsius adducere voluisse testimonium, evincit ille dicendi modus: *Hebioni respondit;* cujus quidem emphasis est, se non interpretari tunc Scripturam Sacram, sed ejus adferre verba. Porro, si, uti ex Pamelio adnotatum, nusquam in Scripturis alibi legitur illud de Christo, *& ex Deo natus est*, sequitur, ad hunc modo Johannis alludere locum potuisse Africanum Scriptorem, ad Evangelistæ videlicet verba juxta novam Lectionem; maxime quod doctrina ejusmodi recentiori in Lectione contenta e diametro opponi videbatur Ebionis hæresi, quem de Josephi ac Mariæ consortio putasse Christum esse genitum produnt Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus, post Origenem & Eusebium. Denique quum mutuata sint e textu Scripturæ Sacræ verba: *Ego sum Deus, & alius absque me non est*, quibus Marcionem, & Valentinianorum Æonum genealogias, vel ante earum ortum, pulsasse ait Tertullianus Spiritum Sanctum; ita & derivata

e

e Scripturæ textu dicenda verba illa ſunt, quibus, ejuſdem Septimii ſententia, pulſavit Ebionem Spiritus Sanctus; *non ex ſanguine, neque ex carnis & Viri voluntate, ſed ex Deo natus eſt.*

Qui, diſputationis æſtu in non neceſſaria, & in oppoſita abſtractum aliquando Tertullianum contendunt, ſuſpicari viderentur poſſe, haud ſedato animo adverſus Ebionem diſputare tunc perrexiſſe Africanum Patrem. Quid prodeſſe reipſa poterat adverſus Hæreticum, qui Evangelium modo ſecundum Matthæum admittebat, teſtimonium adducere Johannis? Num *utiliter* verſione ab Hæretico elaborata uſus hoc in loco poteſt dici Septimius? Simonium, qui ſimilem Tertulliani, adverſus Marcionem differentis, ratiocinandi rationem animadvertit, nullam tamen ſat idoneam video præbere nobis, qua ab difficultate expediamur, viam. Libro adverſus Marcionem IV. hunc contra Hæreticum, ex Evangelio quod ille non admittebat, diſputat Tertullianus. Itaque ſic ille Criticus: *Ce paſſage ne ſe trouve auſſi que dans Saint Luc. Ce qui pourroit faire croire que ces deux Objections de Tertullien regardent l'Evangile en general, comme s'il avoit ſupposè que Marcion n'avoit aucun raiſon de recevoir un Evangile plutoſt qu'un autre. Mais alors il ne prouveroit rien directement contre ſon Adverſaire. Il ſe peut faire que l'Exemplaire de Tertullien ne fuſt pas exact, & qu'on y euſt melè en-* Hiſt. Crit. N.T. P. I. Cap. 12

ensemble des Leçons de plusieurs Evangiles. Verum hic non agitur an directe, vel indirecte adversus Ebionem digladietur Tertullianus; an in Exemplari Tertulliani aliqua fuerint Johannis testimonia. Quum neque in Matthæo, neque in ceteris Scripturæ Libris dicatur Christus *ex Deo natus;* si verba antecedentia maxime consideremus, *non ex sanguine, neque ex carnis & Viri voluntate*, consequitur semper, ad locum quo de agimus respicere Tertullianum debuisse; iccirco solvendus remanet adhuc nodus, quo videlicet nam pacto potuerit Septimius Hæresim oppugnare corrupto, uti jam dixerat, testimonio, aut quanam ratione corruptum dixerat a Valentinianis illud testimonium, quum paucis interjectis idoneum idem crediderit, uti a Valentinianis ferebatur, juxta diversam nempe a Vulgata Lectionem, generationi Christi, ex Johannis, & Spiritus Sancti mente, adversus Ebionem similesque Hæreticos vindicandæ? Si enim testimonium a Valentino corruptum, si Versionem Valentini, contra eundem adferret, ea *utiliter* uteretur, caperem quid esset; *ad hominem* disputaret. Verum quid proficere poterat corruptio Valentini adversus Ebionem? Valentiniana sententia Ebionitarum Hæresi oppugnandæ? παραφθέγγης certe fuisset Tertullianus.

Ad suspicionem igitur meam hæc animadvertens redii, & opinari magis magisque cœpi, com-

communiorem olim quidem in Ecclesia fuisse Versionem, in qua legebatur *nati sunt*, sed aliquam fuisse etiam, & quidem absque dolo confictam malo, in qua legeretur *natus est*; ea iccirco usos aliquando Irenæum, Tertullianum, ac Vigilium Tapsensem, alios fortasse. Hoc autem ut ostendam facile, in medium revocanda sunt, quæ Latinarum de copia Versionum Patres olim docuerunt. Hieronymus ita ad Damasum scribebat: *Si enim Latinis Exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus: tot enim sunt Exemplaria pene, quot Codices*. Ita vero D. Augustinus: *Latinorum Interpretum infinita varietas*. Et post pauca: *Qui enim Scripturas ex hebræa lingua in græcam verterunt, numerari possunt, Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex græcus, & aliquantulum facultatis sibi utriusque Linguæ habere videbatur, ausus est interpretari*. Haud velim tamen ex Augustini verbis conjiciat quis statim, insulsi hominis, aut male in fide affecti, Lectionem illam fuisse. Horum ex testimonio Patrum eruo in præsens tantum vertendi libertatem ac morem, dein ex libertate & more, ipsaque ex aptissima Versione, vel inter rudes, Hebraismorum peritum (quod possibile) Interpretem. Haud ignoro quidem, Hieronymi ejusdem testimonio, fuisse primævam Ecclesiam de imperitis congregatam Gentibus; unde Sacri essent Codi-

Præf. in Evang.

Lib. II. De Doctr. Christ. Cap. XI.

ces mendis graphicis referti; nec eum male cogitasse qui asseruit, *que les Disputes des Critiques n'ont quelque fois pour fondament qu'un coup de cizeau donnè mal-a propos*. Verum hujusmodi non fuisse arbitror latam ab illis Patribus Lectionem. Cur enim ὁμοψήφους habuerit Irenæum, ac Vigilium Tertullianus? cur omnes ἀβλεψίᾳ, cur errore μνημονικῷ laborasse omnes suspicemur, tot aliis adjunctis nos eorum de mente hanc relate ad Lectionem certiores efficientibus? quare, si hac uti phrasi fas est, *sans avoir les Lunettes de Calovius pour voir tout ce qu'on veut dans l'Ecriture*, statuendum autumo, interpretatum aliquando *natus est*, quod ex observata, vel credita saltem anomalia, exque analogia Linguæ, utramque Textus pati videretur interpretationem; aliquos iccirco hebraica, aut, melius ut dicam, hellenistica ex phrasi diversimode a Vulgata fuisse interpretatos; jure iccirco nova Lectione Sanctos Patres in Disputationibus usos.

Sacros reapse novi Fœderis Scriptores, græcis quidem verbis, hebraica usos tamen semper phrasi, seu frequentissimos eorum in Scriptis esse hebraismos, norunt hodie Eruditi; noscebantque primis Ecclesiæ etiam temporibus qui saltem ad ipsam frequentes ex Circumcisione, seu Synagogis venerant. Haud vero loquimur in præsens de generali illa similitudine, derivatione, ac nexu, qui puram inter Dialectum Græcam est, & vete-

rem

rem Hebraicam, ut aliqui contendunt; nec enim ex Syntaxeos similitudine ac conformitate diversis in Linguis observata, quæ casu usuque aliquando obtinet, de ortu ac nexu earundem certo ac facile nimis statuendum. Nec hoc animadvertendam in loco Etymologiam volumus, sed magis utriusque Linguæ in illo corruptionis earumdem statu idiotismos, quorum profecto notio intellectum in tutiores ducit veritates, ipsamque, inanem per se, maximi usus esse præstat Etymologiam. Riderent harum rerum utique Periti, si auderem in memoriam eisdem exempla revocare, quæ de Anomaliis utriusque Textus, hebraicæ videlicet Linguæ propriis & in Apostolorum Scripta derivatis, ex Sixtini Amamæ Coronide ad Grammaticam Martinio Buxtorfianam, vel ex Joh. Avenario, in medium protulit Masclefus. Noti omnibus pene sunt Leusdeniani Libri, notæ Animadversiones Bernardi Lamii, infinitaque prostant observata infinitis ab Scriptoribus exempla. Argumentum hoc fuse pertractavit ac exhauriit Clarissimus doctissimusque Johannes Lamius Florentinus, in Libro singulari de Eruditione Apostolorum, in quo, post Martinum Petrum Cheitomæum, Robertum Stephanum, Sebastianum Castalionem, Dominicum Sotum, Johannem Gagnæum, Salmasium, & Ludovicum Capellum, quorum sensus adfert ac testimonia, evincit apertissime, Novi Testamenti phrasim Cap. IX.

Z 2 to-

totam hebraicam esse, ejusque intelligentiam penitiorem a linguæ Hebraicæ, Syriacæ, Chaldaicæ, Rabbinicæ, earumque propriæ phraseos pendere cognitione. Certum est, haud posse nos de sermone ac sententiis, ut verbo dicam, de littera (ad Grammaticam quod spectat) Novi Testamenti, recte & ad rem, vel pauca verba facere, nisi quæ de Anomaliis Hebræorum docentur passim, ac analogiam Linguæ LXX. Interpretum probe caleamus, nisi Veteris Testamenti Lectioni & interpretationi impallescentes operam dederimus. Præceptum hominis est hisce in rebus exercitatissimi, videlicet Simonii, cujus unum modo proferam in medium testimonium. Loquitur ille Erasmi de Interpretatione, quam utique probare non audet, quod hebraicarum Anomaliarum doctrinæ expers fuerit Interpres. Sic igitur: *Au Chapitre VIII. de Saint Jean v. 25.* Hist. Crit. N. T. P. II. Cap. 22. *ou il y a dans la Vulgate,* Principium qui & loquor vobis, *Erasme a mis dans sa Version,* In primis quod & loquor vobis*: mais le mot latin* Principium, *qui est en ce lieu la a l'accusatif, repond parfaitement au Grec* τὴν ἀρχὴν, *& fait un meilleur sens que* in primis, *etant la meme chose que* initio, *ou* prius. *Jean Boys a remarquè doctement, que cette maniere de parler est prise des Septante; & il ajoute en meme temps, que ceux qui veulent juger du stile des Evangelistes, & des Apotres, doivent etre exercès dans la Version Grecque de*

de ces anciens Interpretes. Mea ſententia, *dit-il*, qui volet recte judicare de Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſermone, ab illo nullo modo committendum eſt, ut ſit hoſpes in Græcis τῶν ἑβδομήκοντα. *En effet c'eſt un defaut qui ſe trouve dans la plu-part de ceux qui ont ecrit ſur le Nouveau Teſtament, & principalement dans les Proteſtants, qui ont trop negligè cette ancienne Verſion Grecque. Eraſme qui n'a point ſçù l'Ebreu, n'a pas etè en etat de la lire avec fruit; ce qui l'a fait tomber dans quelque erreur.* Quæ de Proteſtantibus vero ait Simonius, de Janſeniſtis adfirmat Clericus, quorum Verſiones fallaces, aut ſaltem minus accuratas eſſe, Vir hebraici peritiſſimus ſermonis latiſſime oſtendit, ea nempe tantum de cauſſa quod earum Auctores hebraiſmorum cognitione ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον caruiſſent. Evangelio autem Johannis magis etiam conveniunt, quæ univerſi Teſtamenti Novi Libris cognoſcendis neceſſaria ducunt ejuſmodi ceterique hebraizantes Scriptores; quod nempe Johannis Evangelium magis quam cetera hebraiſmis ſcateat, initio maxime quo de agimus. Sic enim hoc de divino Scriptore Eminentiſſimue Toletus: *Minus quam cæteri Evangeliſtæ græcè locutus eſt. Hebraicis phraſibus abundat. Unde fit ut hebraici ſermonis peritia, non minus quam græci ad ſenſum ſententiarum aſſequendum ſit neceſſaria*. Laudatus vero celebris Lamius Florentinus, *In Johanne*, inquit, *ſer-*

Bibliot. Univerſ. Tom. IX. p. 112. & ſeq. & Tom. XXV. p. 306. & ſeq.

Argum. Comment. in Joh.

sermo græcus quidem, sed plane ex Syriaco illius sæculi adumbratus. Hæc nempe egregio in Opere, in quo de recta Christianorum agit fide, in
Lib V. Cap. 10. eo quod Mysterium Divinæ Trinitatis adtinet sententia; quæ Grotii, Georgii Enjedini, Calme-
Lib. De Erud. Apost. Cap. XVII. ti, Wolzogenii, aliorum auctoritate ac testimoniis, ubi data opera de stylo Johannis agit, uberrime confirmat. Ad rem igitur propius ut veniam, proclive arbitror fuisse, aliquem Catholica etiam in Ecclesia, ex iis qui ex Circumcisione venerant, Interpretem duo illa ὃ ἐγεννήθησαν, in quibus diversa Lectio facta est, hellenistica, seu Hebraica accepisse phrasi, & non sine caussa, ex anomalia nempe, & ratione antecedentium & consequentium habita, vertisse, *qui natus est*. Et primum quidem, in Hebræorum Syntaxi nonnumquam pronomen a suo, ut ajunt, discordare substantivo, genere & numero, notissimum est. Exempla pauca ex Masclefo seligam. Exodi XII. 25. אם חבל תחבל שלמת רעך, כבוא השמש תשבנו לו *Si pignore acceperis vestem proximi tui, antequam occumbat Sol, restitues eam illi*. נו ad litteram *eum* pro נה *eam*, uti legendum esset, quum pronomen illud sit relativum שלמת fœminini generis. Eccles. X. 10. עמל הכסילים תיגענו *Labor stultorum affliget eos*. תיגענו ad litteram *affliget eum*. אשי יהוה הוא נחלתו Jos. III. 14. *Holocausta Domini illud* pro *illa sunt hæreditas ejus*. Jos. II. 4. *Suscepit mulier illa duos Viros illos* ותצפנו *& abscon-*

abſcondit eum, ideſt *eos*. Legitur Numer. XXVII. 7. להם pro להן. Ruth. I. 13. להן pro להם; fœmininum pro maſculino, & è contra. Thren. II. 20. Comedent Mulieres פרים pro פרין *fructum ſuum*. Haud paucis aliis Exemplis prætermiſſis, in quibus affixa pluralia nominibus junguntur ſingularibus, ſingularia pluralibus. Quam ſæpe hebraico in Textu היה ponitur loco הוא, הוא loco הוה, *ille* pro *illa*, & ex oppoſito? Ex illo vero genere Syntaxeos ſimiles ortæ ſunt in Teſtamento Novo anomaliæ. Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete* πάντα τὰ ἔθνη *omnes Gentes*, *baptizantes* αὐτούς. Johan. XV. 26. πνεῦμα Spiritus, qui a Patre procedit, ἐκεῖνος ille &c. Johan. XVI. 13. ἐκεῖνος τὸ πνεῦμα *Ille Spiritus*. Ad Galat. IV. 19. τεκνία μου οὓς πάλιν ὠδίνω. *Filioli mei quos iterum parturio*. Rom. IX. 29. *Vaſa miſericordiæ*, σκεύη οὓς *quos præparavit*. Ad Philip. III. 25. *Noſtra converſatio in Cælis eſt* ἐν οὐρανοῖς ἐξ οὗ *ex quo* pro *ex quibus*. Ad Philip. II. 15. In medio generationis, ἐν μέσῳ γενεᾶς ἐν οἷς *in quibus* pro *in qua*. Fieri igitur potuiſſe cenſeo, aliquos primorum illorum temporum Interpretes pronomen illud οἳ, helleniſticum arbitratos fuiſſe dicendi modum, nempe οἳ pro ὃ poſitum, ac *qui* ſingulari ſignificatione accipiendum. Quamvis enim non adeo πολύσημον ſit pronomen apud Græcos, uti eſt אשר apud Hebræos, qua una nempe voce pronomen relativum cujuſvis generis & caſus, ſingulare atque plurale denotamus; ex ἀμφιβολίᾳ tamen Hebrai-

braici pronominis suspicari jure licet ambiguitatem aliquam apud Hellenistas, aut latitudinem significationis saltem in pronomina Græca esse derivatam. Ut ut vero male apud nonnullos audiant veteres Vulgatæ Interpretationis Auctores, negari haud posse tamen reor, olim etiam Viros fuisse, etsi numero sat paucos, hebraica tamen in doctrina peritissimos, qui illius sermonis indolem, dictionum structuram, seriem phraseon, præcipuarum energiam loquutionum, figurarum usum atque potestatem, Chaldaismos atque Syriasmos, metatheses, optime caluerint, & æquivoca antecedentium & consequentium face illustraverint. Quin imo, quamvis vel Vulgatæ Interpretationis Auctores non omnes animadverterint, non omnes, ut ita dicam, correxerint Textus anomalias, ipsasque Latina in Interpretatione retinuerit aliquando; inficiari adhuc minime possumus tamen, infinitas cognovisse, ac pene omnes ad rectam Grammatices regulam, ad analogiam Latinæ Dialecti reduxisse, quod profecto esset hic ἀπροσδιόνυσον ostendere. Johannis igitur in loco, quem in præsens enarramus, anomaliam; idiotismumque videre sibi visus est aliquis Interpres, iccirco non *nati sunt*, sed *natus est* vertendum arbitratus. Norunt enim omnes quam magni Prothei nos Masclefiani simus, ac esse debeamus. Ceteros igitur ex nobis metimur. Nisi velimus fortasse suspicari, plu-

pluribus in Codicibus græcis & in & trasmutatum facile fuisse; quod ex Litterarum similitudine factum non semel, notissimum Artis Criticæ, Linguarum, ac MSS. Codicum peritis.

Idem adseri de verbo posset. Loco ἐγεννήθησαν, aliquo in Codice repertum fortasse ἐγεννήθη, deficiente σαν, quo nil facilius. Sed redeo ad ingenium, ad suspicionem nempe meam, ad anomalias. Omitto verbum ישה seu יש *est* impersonale esse, utriusque apud Hebræos numeri, & æqualiter *est* & *sunt* significare. Quis Hebraizantium ignorat tamen, Verbum frequentissime apud Hebræos, iccirco apud etiam Hellenistas, a nominativo suo, discordare sæpe numero? Genes. XLI. 57. ad verbum Hebraico in Textu: *Et omnis terra venerunt in Ægyptum*. וכל הארץ באו מצרימה. Genes. I. 14. *Fiat Luminaria*. יהי מאהות. Genes. XIX. 15. ולא יהיה עוד המים *Et non erit amplius aquæ Diluvii*. Exod. XXXI. 14. *Propbanantes illud morte morietur*. מחלליה מות יומת Exod. XVII. 12: ויהי ידיו *Et fuit*, idest, *fuerunt manus ejus*. Ut de Personarum taceam Enallage, in Vetere ac Novo Testamento frequentissima. Quid opus est imo longe deductis atque extraneis exemplis, quum apertissimum præsto sit Geneseos in Libro simile prorsus Phrasi qua de agimus in præsens? Capite siquidem XXXV. v. 26; enumeratis scilicet a Sacro Scriptore Filiis Jacobi, ita prosequitur Textus: אלה בני יעקב אשר ילד לו

ad verbum: *Hi sunt filii Jacob qui natus est ei*. Ita punctatis etiam in Bibliis legitur, ac legendum volunt ipsi Massorethæ, qui nullum anomaliæ auferendæ in suo illo Punctorum arcano, & penu remedium invenire potuere. In adnotationibus ad Hebraicum Pentateuchum Venetiis MDLI. in Officina Justinianea editum, ita R. Kimhi: יולד לו, *Hebraicè, Qui natus est ei, hoc est, quorum quisque natus est ei*. Verum analogia Linguæ potius considerata, anomaliis nempe, atque idiotismis, exponendum arbitror, *qui natus est ei*, hoc est, *qui nati sunt ei;* exigentia loci, adjectis, interpretationis apud Hebræos legibus ita demum postulantibus. Quod si *qui natus est*, singulari quamvis numero, ex hebraicæ analogia Linguæ, ex Hebraismis, vertendum semel in *qui nati sunt*; cur οἳ ἐγεννήθησαν *qui nati sunt*, ex Hellenisticæ analogia Linguæ, quæ eadem cum Hebraica, exque simili prorsus, ac ab Hebraica Lingua derivato idiotismo, adjectis æque postulantibus, in ὃς ἐγεννήθη non poterit converti, & interpretari *natus est*? Itaque quum aliqui perviam magis credidissent interpretationem illam *natus est*, quod cum antecedentibus, iisque quæ pone sequebantur, ut & Toletus haud erubuit fateri, videretur cohærere magis; heinc fortasse fuit, ut in aliquibus Catholica etiam receptis in Ecclesia Codicibus reperiretur illa Lectio, qua inde jure uti posset Tertullianus ad Ebionis Hæresim

ipsis

ipsis Scripturæ verbis oppugnandam.

Haud incognitæ prorsus Latinis Scriptoribus ejusmodi anomaliæ. Hymnus Laudum:

Verbum supernum prodiens
Qui natus Orbi subvenis.

Et ut ad prophanos descendamus Scriptores, ita, uti notissimum, Terentius: *Ut Dj illum, Deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est.* Lucianus in Galli Dialogo, ita hoc animal ad Mycillum loquutum inducit: Ἡράκλεις δεινόν τινα φὴς τὸν ἔρωτα τοῦ ἐνυπνίου, εἴγε πτηνὸς ὢν ὥς φασι, καὶ ὅρον ἔχων τῆς πτήσεως τὴν ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα ἤδη πηδᾷ, καὶ ἐνδιατρίβει ἀνεωγόσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, μελιχρὸς οὕτω, καὶ ἐναργὴς φαινόμενος. *Novum hercle mihi narras insomnii amorem, siquidem alatum quum sit, ut ajunt, metasque volandi præscriptas habeat somnium, jam septa transilit, in apertis etiam oculis obversans, adeo mellitum & evidens apparet.* Omnia recte in Interpretatione, ast græco in Textu quatuor vides adjectiva manifesto masculina, quæ neutrum ad substantivum, ad ἐνύπνιον nempe, referuntur. Livius eadem anomalia: *Lucius Cælius triplicem rei gestæ ordinem edit. Unam traditam fama, alteram scriptam, tertiam quam Ipse pro iniquissima & comperta sibi affert.* Varro: *Si cogare secundum flumen ædificare, cavendum ne adversum eum ponas.* Vitruvius: *Itaque quoniam sexto Volumine privatorum ædificiorum rationes perscripsi, in hoc qui septimum tenet numerum de expolitionibus*

Lib. XXVII. Cap. 27.

De Rem. Rep. Lib. I. Cap. 12.

In Præf. Lib. VII.

 bus

bus exponam. Accedunt & Maronis illa:

tenet ille immania ſaxa
Lib. Æneid. I. *Veſtra, Evre, domos;*

contextaque eodem pacto Ariadnes Catullianæ verba ſuo ab Amante derelictæ:

Attamen in veſtras potuiſti ducere ſedes,
Carm. De Nupt. Pel. & Thetid. *Quæ tibi jucundo famularer ſerva labore,*
Candida permulcens liquidis veſtigia limphis,
Purpureumque tuum conſternens veſte cubile.

Non tanta de diſcordante verbo placet addere. Sufficiant vulgatiſſima: *Paupertas mihi ſemper onus viſum eſt. Amantium iræ amoris redintegratio eſt.* Et illa Taciti: *Sed Vulgus, more, humanæ cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adverſis quidem in vera mutabantur.* (Lib. Histor. V. Cap. 13.) Hæc autem abſit ut exiſtimet Lector in medium produxiſſe me, ut quæ de anomaliis dixi Novi Teſtamenti confirmare pergerem. Fortaſſe Linguarum non peritus hæc adverſus ea quæ ſtatui, objicienda contenderet. Ut enim animadverterunt nonnulli, illa plane excidiſſe dicenda ſunt Scriptoribus feſtinantibus, & de reipſa magis, quam de dictione cogitantibus. Gronovius ad laudatum Luciani teſtimonium docet ſapientiſſime, Græcum Scriptorem ſic periodum continuaſſe ſuam, ac ſi ὄνειρος antea ſcripſiſſet, non ἐνύπνιον, quod prius vocabulum in mente habuiſſet. Sic Livius, terminum *ratio* in animo habens, non quem ſcripſerat *ordo* ſeu *ordinem*, pro-

ce-

cedendo ſcripſit *unam*, *alteram*, *tertiam*. Varro exiſtimabat forſitan, non *flumen* ſe, ſed *fluvium* ſcripſiſſe; Vitruvius non *Volumen*, ſed *Librum*. Qua ex doctrina, imperitus, uti dicebam, erueret fortaſſe, ea ratione, qua ex relatis anomaliis haud ſequitur, aut hoſce, aut ceteros Latinos Scriptores eſſe ex anomaliis interpretandos, ita nec ex laudatis uſque modo Hebraiſmis verba explicanda eſſe, de quibus quæſtio in præſens eſt. Erraret enim ita arguens, ac erraret vehementer; ignorans videlicet hebraicæ indolem, ingenium, ac idiotiſmum Linguæ, ejuſque Analogiam ac Syntaxim, ex quibus pendet quanta quanta eſt Scriptorum ab Helleniſtis concinnatorum cognitio. Quod caſu apud Latinos accidit, quod apud ipſos ex non frequenti figura eſt, ac ex poetica licentia, nec Latiniſmus dici poteſt; ex regula veluti eſt apud Helleniſtas, apud quos pene omnia per ellipſim ac apocopem, per Synæreſim ac Craſim, Chaldæorum, Syrorum, Samaritarum, Arabumque more, pronunciata; ex anomalia tandem eſt, quæ demum ſit ipſa generali Regula frequentior. Heinc ob ejuſmodi, de quibus diximus, loquutiones ab idiomate Græco ac Latino maxime abhorrentes, ab aliarum Syntaxi Linguarum, Syntaxis diſcordare dicitur Hebraica, quæ in Apoſtolorum Scriptis profecto frequentiſſima; nec alia de cauſſa, uti docet Camero, niſi quod receptiſſima in Synagogis eſſet, Ad Cap. XIX. Matth. c. I.

ſet,

ſet, ac in ſermone Judæorum uſitato.

Majore ſunt vero Anomaliæ numero, quam verba ipſa priore illo in Capite Johannis. In illis quæ phraſim noſtram proxime præcedunt, ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, hebraiſmum vides, quo pronomen abſolute ponitur, adeo ut ſeorſum a quolibet adjuncto integri vim membri habeat, cum emphaſi ac magnificentia ſententiæ non mediocri. Sic illud Apocalypſeos II. 26. ὁ νικῶν δώσω αὐτῷ. *Qui vicerit, dabo ei.* Ibidem VI. 8. ὁ καθήμενος ὄνομα αὐτῷ θάνατος. *Sedens, nomen ei mors.* Epiſtola Johannis prima II. 27. καὶ ὑμεῖς, *unctionem quam accepiſtis ab eo, manet in vobis.* Matth. XXI. 42. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Notat Auguſtinum Simonius ludentem verbis ſuper illa: *Non ex ſanguinibus*, quod *ſanguines* in plurali purus putuſque Hebraiſmus ſit. Omitto cetera. Credibile profecto eſſe ſequitur, Interpretem aliquem ex Judæo Chriſtianum, ratione illius de qua diximus Syntaxeos, rationeque facilis anomaliæ, ratione demum adjectorum, *natus eſt* in vocibus intellexiſſe ad Litteram ſignificantibus *nati ſunt*.

Hiſt. Crit. N. T. P. III. Cap. 17.

Hiſce præconceptis redeo nunc ad Tertullianum. Quum igitur ſcripſit Africanus Pater: *Quid eſt ergo? Non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, ſed ex Deo natus eſt.*

Hoc

Hoc quidem Capitulo ego potius utar, quum Adulteratores ejus obduxero. Valentinianos hoc in loco corruptores arbitror Septimium appellasse relate potius ad Doctrinam quam ex illo eruebant, relate ad sensum quem verbis illis affigebant, quam ipsam relate ad Litteram. Novimus enim hominis stilum ac agendi rationem, impetum novimus, quo in Disputatione utebatur. Hujusmodi certe germanam sibi videri illorum Tertulliani verborum interpretationem testabatur mihi summæ pietatis summæque Vir doctrinæ Lateranensium Abbas Canonicorum Aloysius Avogadrus, gravissimum, opinione mea, rei confirmandæ testimonium. Reapse, cur illa ipsemet Lectione uti inde voluisset Tertullianus, ut quos Adulteratores ejus vocat, acriter obduceret, nisi de sensu, non de verbis esset controversia? Falso ne voluisset, aut potuisset uti denique *Capitulo*? Potuisset, vel debuisset ne, uti jam animadversum, nulla utilitate, nulla postulante necessitate, *ad hominem* quum adversus Ebionem non dissereret, ex testimonio argumentari certissime corrupto?

Verum inquies, pergit Tertullianus, subditque: *Sic enim scriptum esse contendunt.* Interpretor: hanc enim solam versionem admittendam; hoc enim solum modo legendum; hac sola ratione vertendum esse contendunt. Ex quibus, ni fallor, æquivocum fuisse Textus sensum, va-

rias

rias ejus Lectiones, communiorem oppositam interpretationem velle videtur potius, quam Litteræ corruptores Valentinianos. Demus tamen sensisse tunc Africanum Patrem fuisse a Valentinianis Litteram corruptam. Quid inde? Num iccirco corruptores illo revera in loco Valentiniani? *Il est bon de remarquer*, ait ad rem Cl. Simonius, *qu'on a accusè avec trop de facilitè les anciens Heretiques d'avoir corrumpu les Livres du Nouveau Testament pour les accommoder a leurs* Præf. Hist. Crit. N. T. P. I. *sentimens. On a souvent attribuè a une corruption premeditè ce qui devoit etre rejettè sur les Copistes, & sur la diversitè des Exemplaires. Les Ecrivains Ecclesiastiques des premiers Siecles, n'ont pas rendu en cela plus de justice aux Heretiques de leur temps a l'egard du nouveau Testament, qu'ils ont rendu aux Juifs dans les Disputes, qu'ils ont eües avec eux sur quelques differentes manieres d'interpreter les Livres de vieux Testament. Ces pretendues corruptions se dissipent tout d'un coup lors' qu'on examine avec precaution les Exemplaires MSS. & l'origine de ces diverses Leçons. C'est pourquoi on a justifiè dans cet Ourage les Ariens, les Nestoriens, & quelques autres Sectaires du crime qu'on leur a imputè d'avoir falsifiè exprès les Originaux des Evangelistes, & des Apotres pour appuyer leurs nouveautès. On a meme montrè par quelques exemples considerables, que les plus sçavans Critiques de notre temps n'ont pas etè tout-a fait exempts de ces pre-*

prejugès, & qu'ils ont traitè trop liberement de faussaires ces memes Heretiques. In Opere vero, seu in Historia Critica Novi Testamenti, præstat Simonius optime quod spondet; quamquam enim Epiphanium jure ac merito sæpe Marcionem pravæ Codicum Sacrorum corruptionis postulasse fateatur; ast aliquando tamen interpretationes ex hebraismis procedentes, ceu corruptiones perperam notasse, ita liberrimè evincit: *Chap. VI. v. 17.* καταβὰς *(ou* κατέβη *comme lisoit Saint Epiphane)* μετ' αὐτῶν *etant descendu avec eux. Marcion lisoit* κατέβη ἐν αὐτοῖς, *descendit en eux. Cela peut etre une diversitè de Leçon qui ne changera point les sens. Ce sera un Ebraisme assez ordinaire dans les Livres sacrés. La particule* ἐν *signifera en cet endroit la meme chose que la particule* ב *en Ebreu, a la quelle la Grecque* ἐν *repond. Or la particule* ב *en Ebreu signifie indifferement* ἐν & μετὰ *avec*. Similes facit animadversiones Simonius Cap. XV. ejusdem Partis I. Histor. Criticæ Novi Testamenti. Ignorantia reapse Hebraismorum illa, falsarum caussa fuerat adversus Christianos omnes accusationum. Non enim modo illi eos qui callebant ab ignaris ceu Corruptores traducebantur; verum & ii qui eos ignorabant, icirco *ad verbum* interpretabantur, Latinis, maxime Gentilibus, ineptissimi Scriptores videbantur, vel Regularum communioris Syntaxeos notitia carentes. Testis expostulatio Ethnicorum illa apud Arnobium: *Barba-*

Hist. Crit. N. T. P. I. Cap. 7.

 ris-

rismis, & solœcismis obsitæ sunt res vestræ, & vitiorum deformitate pollutæ, inquiebant adversus Christianos. Quibus, inter cetera, idem Arnobius: *Nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus. Quænam est enim ratio naturalis, aut in mundi constitutionibus Lex scripta, ut hic paries dicatur, & hæc sella? cum neque sexus habeant fœmininis generibus, masculinisque discretos, neque quisquam docere doctissimus me possit, ipsum hic, & hæc, quid sint, aut cur ex his unum, sexum virilem designet; fœmininis generibus id quod sequitur applicetur. Humana ista sunt placita, & ad usum sermonis faciendi non sane omnibus necessaria. Nam & hæc paries forsitan, & hic sella dici sine ulla reprehensione potuissent, si ab initio sic dici placuisset, & a sequentibus sæculis communi esset in sermocinatione servatum. Et tamen, ò isti, qui pollutas res nostras vitiorum criminamini fœditate, stribiligines & vos istas Libris illis in maximis atque admirabilibus non habetis? Nonne alius hæc utria, alius dicit hos utres? cælus, & cælum? non item filus, & filum? non item crocus, & crocum? non item fretus, & fretum? non item apud vos est positum hoc pane, & hic panis? hic sanguis, hoc sanguen? candelabrum & jugulum ratione eadem jugulus & candelaber? Nam si singula nomina non possunt genera plura habere, quam singula: neque eadem possunt hujus esse generis, & illius, genus enim transire genus in alterum non potest, tam peccat*

Lib. adv. Gent. I.

cat

cat qui genera masculina fœmininis pronunciat legibus, quam ab eo peccatur, qui articulos masculinos fœmininis generibus anteponit. Atqui vos conspicimus & res masculinas fœminine, & fœmineas masculine, & quas esse dicitis neutras, & illo, & hoc modo sine ulla discretione depromere. Aut igitur nulla est culpa indifferenter his uti, & frustra nos dicitis solœcismorum obscœnitate deformes: aut si certum est singula quibus debeant rationibus explicari, in similibus vitiis vos quoque versamini; quamvis Epicadios omnes, Cæsellios, Verrios, Scauros teneatis, & Nisos. Qui Hebraicæ Litteraturæ expers, originem mali, Hellenisticam videlicet Syntaxim, ignorabat Arnobius, ut demum potuit, nempe ex recriminatione respondit; quam tamen adversus Christianorum Codices Objectionem haud profecto intulissent Gentiles, si idoneum semper Volumina Sacra nacta essent Interpretem. Noscitur ex Responsione tamen quid Christianorum in Scriptis, Sacra nempe in Scriptura, Latini præsertim Grammatici culparent; quod genera scilicet masculina fœmininis pronunciarent legibus, quodque articulos masculinos fœmininis anteponerent generibus; puros uno verbo Hellenismos. Dicendum igitur (ut ad rem revertamur) aut nullo jure Tertullianum illo in loco corruptores appellasse Valentinianos, quod merum Hebraismum, aut interpretationem ex Hellenistica

phrasi procedentem, arbitratus interpolationem fuerit ipsius Textus; aut corruptam vocasse interpretationem illam, ob sensum, quem inde Hetherodoxi derivabant; Corruptoresque Valentinianos, ejus sententia, maxime fuisse, quod illis uterentur verbis ad veram Carnem a Christo auferendam. Quum enim adversus Ebionem Valentiniana interpretatione tuto adeo ipse inde Septimius utatur, nisi Declamatorem egisse, & mala prorsus fide aut contra Valentinianos, aut adversus Ebionem, Ipsum disputasse suspicemur (quod tamen facile adeo adfirmari nolim); sequitur apertissime, priore illo loco corruptionis inustos nota Valentinianos, ratione opinionis pravæ testimonio affictæ, aut quod æquivocam juxta Textum, seu diversis ex Versionibus Lectionem, figere ipsi tamen ita vellent, ut ex illa inde errorem propugnarent. Hoc eo confirmatum maxime, quod illo Capitulo, illa videlicet Lectione, non adversus Ebionem modo, sed ipsos etiam adversus Valentinianos, priore nempe in loco, Ipse etiam utatur, sanum tamen juxta sensum enarrata. Admitti ergo illam, & aliquibus reperiri probatis in Lectionibus ostendit, quod eandem, Catholicam juxta doctrinam, interpretatus sit.

Fateor sane, hac recentiori de Lectione, ipsum apud Evangelistam, seu in Codicibus Johannis, nil subodoratos esse Criticos Sacros, nil Cornelium

lium a Lapide, aut Estium in difficiliora Scripturæ loca, nil Millium, aut Waltonum Tom. V. Polyglottæ, Calmetum, pervios alios Exegeticos, consulere quos potui; veterem imo retinere exhibereque Lectionem celebriores rarioresque quotquot inveniri potuerunt Sacrorum Bibliorum Editiones, quarum oculatus testis magna cum animi voluptate factus sum, postquam easdem, Otthobonianæ olim florem Bibliothecæ, præter omnium expectationem, transferendas curavit in instructissimam hanc suam, quam, maximo Litteratorum plausu, Brixiæ a fundamentis utilitati publicæ erigit, ornat, ac uberrima Librorum supellectile ditat Litterarum decus, hac in Urbe

Dulcia qui profugas revocavit ad otia Musas

amplissimus CARDINALIS QUIRINUS. Verum non is ego sum, qui post oppugnatam Scaligeræorum Herodiano de Infanticidio dubitationem ex Consensione Codicum omnium Matthæi, ex consensione eorum qui Evangeliis adsuta adnotarunt, ex conditis denique ævo nostro Variarum Syllogis, de nova in præsens Lectione aliquibus olim in Versionibus suspicari audeam, nullius MS. ope Codicis; quod certe esset audacissimi. Plurium quippe doctissimorum Urbis hujus Virorum testimonio, certum scio in vetustissimo Capitulari Codice MS. Ecclesiæ Veronensis, & quidem in re qua de agimus non interpolato, non emendato, ac intacto, novam illam legi interpretationem.

Eam

Eam certe edidit Vir πολυμαθέςατος Scipio Maffejus; deque illo Codice ab Clarissimo doctissimoque Viro Johanne Hieronymo Gradonico C. R. consultus harum rerum peritissimus Bartholomæus Campagnola, ita eidem humanissime respondit: *Per ubbidire ai riveriti comandi di V.P.M.R. ho nuovamente preso per mano, ed attentamente osservato il Codice Evangeliario di questo Reverendissimo Capitolo Veronese; il quale abbenche per la maggior parte sia mutilo, smarrito, e guasto, pure nel luogo ricercatomi tanto vestigio delle lettere evvi restato, che si può accertare qual fosse la sua Lezione. In questo Codice nel principio dell' Evangelio di S. Giovanni si rilevano per verità queste parole:* Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo natus est. *Se questa Lezione sia stata emendata, come non rare volte s'incontra ne' Codici, o nò, non se ne vede vestigio. Il Codice è in membrana di color violacco, la sua forma è di quarto grande, ed è scritto in due colonne, il carattere è tutto majuscolo in oro ed argento, con questa varietà, che le parole proprie del Salvatore, il nome di Dio, Gesù Cristo, e simili, sono in lettere d'oro; il testo dell' Evangelista in argento. Mostra questo prezioso avanzo di MS. un' antichità remotissima, ma non se li può fissare determinata età. Io per me non dubitarei d'attribuirli anche molto più di mille anni; in esso l'ordine degli Evangelj così è di-*

Bibl. Veronen. MS. Part. I.

disposto: Matteo, Giovanni, Luca, e Marco. Eruitur heinc quam præceps facilisque fuerit Pamelius ad hunc quo de agimus statuens Tertulliani locum, omnes MSS. Codices, Exemplaria omnia Latina, Patresque omnes legere, *ex Deo nati sunt*. Prudentius Critici profecto agerent, si a magistralibus hisce, ut ita dicam, se abstinerent enunciandi modis: *Le P. de Montfaucon, qui, dans sa Paleograghie Grecque, avoit temoignè qu'il n'avoit encore vû aucun MS. qui eut etè apportè du Mont Athos, fut surpris en trouvant que presque la moitiè des MSS. Grecs, qui sont dans la Bibliotheque Coislinienne, avoient eté apportez des Monasteres de cette fameuse Montagne*. Verum ut aliqualem Pamelio concedamus veniam relate ad ignorantiam MS. Veronensis, quid dicemus tamen habita ratione testimoniorum, quæ apud tres celeberrimos Ecclesiæ veteres Scriptores tam clare aperteque prostant? ἀνταπολόγητος hoc in loco mihi videtur procul dubio Pamelius. Accedit, infinitas illas, de quibus loquuntur Hieronymus & Augustinus, Latinas Versiones periisse, nec esse nos adeo fortunæ filios, ut in Variarum Syllogis eas habeamus: Pronum esse credere, talem revera exstitisse Versionem, quod non unus modo Pater, non unus modo Tertullianus, sed & Irenæus, & Vigilius Tapsensis ea usi fuerint. Fortasse etiam factum ex Valentinianorum Hæresi, ut opposita Lectio communis universim evaderet ac consecrata.

Clerc Bibl. Ancien. & Mode. x, Tom. IV. p. 63.

Ex

Ex copia vero illa Interpretationum Latinarum lucem fulgentissimam habemus dissolvendæ gravissimæ Quæstioni, quam nonnisi per impervia pertractarunt, qui ad varias illas multiplicesque Veterum Versiones animum non applicuerunt, quæque maximum nostra cum Disputatione habet nexum. Mirantur sane Exegeticorum multi, quod Patrum non pauci diversis usi sint plurimum Lectionibus, non diversis modo in Operibus, sed eodem etiam in Libro aliquando, uti nunc accidit in Tertulliano; nec defuere, qui illam ita diversimode legendi rationem iisdem tribuerent Scriptoribus, pro loci exigentia, suo marte, suaque e penu Textum interpretatis. Scaligeri olim fuit hujusmodi opinio, alteque adeo insedit animo Simonii, ut eandem perrexerit pluribus, more suo, in locis suadere. Perperam ita sentiunt tamen hi Scriptores; nec, etiamsi vera Ipsorum opinio esset, Lectionis tamen, qua de agimus, Auctor dici posset ipse Tertullianus. Haud inficior quidem, aliquos Sanctos Patres e doctioribus, videlicet Hieronymum, Bibliorum e textu, uti res non semel postulabat, statim atque marte suo vertere plura potuisse. Hanc interpretandi rationem tamen ad Tertullianum extendere, Cyprianum ac Hilarium, uti revera Simonius facit, absque sat idoneo videtur fundamento. Non id sinebat profecto studiorum quam inierant ratio, ut tantum sci-

Scaligeran. p. 218.

Hist. Crit. N.T. Par. II. Cap. 5. P. III. Cap. 1. 9.

ſcilicet valerent. Toti Catecheſi, toti polemicis dediti Diſputationibus, unde tantum illis otium ſuppeteret, ut de ſubita Textuum interpretatione cogitarent? Etſi vero negare minime velimus, aliqualem laudatis fuiſſe Patribus græcæ Dialecti cognitionem, aſt plenam perfectamque, & ad Hebraiſmorum peritiam pertinentem dubitabimus. Nonne aliqui Tertulliani errores atque nævi, nonne ineptæ aliquæ ſacri Textus interpretationes, quæ ejus proſtant in Operibus, ab inopia hebraicorum Idiotiſmorum apparent derivatæ? In altero igitur Africani Patris teſtimonio, etſi ita Johannis locus efferatur, ut verba maximeQuæſtioni, & Scriptoris fini, data opera, accommodata videantur; haud id tamen ab Septimio, uti nec ab Irenæo ac Vigilio, ſed a Verſione aliqua jam concinnata proceſſiſſe ſtatuendum.

Unum mox dictis obſtare quis fortaſſe diceret; qua nempe ratione, quum Septimium, Irenæum, ac Vigilium hebraiſmorum cognitione caruiſſe, nec niſi illorum vi Lectionem in qua *natus eſt* probari poſſe docuerimus; laudatos inde Patres, talium inopia cognitionum laborantes, ea adhuc Lectione jure optimo uſos contendamus? ſenſum, non Litteram in Valentinianis damnaſſe propugnemus? Verſionis denique cauſſam ignorantes, Interpretationem tamen a Littera abhorrentem, minime culpaſſe

 aut

aut rejeciſſe ſtatuamus? Quæ tamen omnia facile componi poſſe nemo dubitabit, qui animadverterit, Lectionem illam Eccleſiarum in Codicibus, in probatis undique Verſionibus Patres illos invenire potuiſſe, eaque, legitimum ob ſenſum, non ſententiæ modo quam confirmare in loco tuerique geſtiebant, ſed Catholicæ univerſim Doctrinæ accommodatum, uſos jure ac merito fuiſſe, nulli ceterum Interpretationi pro veteris Eccleſiæ moribus adſtrictos. Quare ex hoc etiam argumento ſuſpicionem de Verſione illa meam, pene gratulor aliqua ratione confirmatam. Quum vero non apud diverſos modo Latinos Patres, aut in diverſis ejuſdem Patris Scriptis, teſtimonia Scripturæ, diverſa interpretatione in medium adducantur, ſed idem apud eundem Scriptorem, eodemque in Opere non ſemel videre ſit; heinc neque cum aliquibus ſtatuendum, Cypriano ſuam, ſuam Auguſtino, ſuam Ambroſio, ac Tertulliano alteram fuiſſe olim Verſionem; ſed multiplici uſos omnes, pro illa in qua, uti ex Hieronymo & Auguſtino vidimus, verſabantur tunc temporis Interpretationum Copia. Quod autem illis pro opportunitate, ſeu juxta quod interpretatio verborum, rei de qua tunc agebant, apta magis videbatur, Patres uterentur; heinc factum facile, ut Verſione in qua *natus eſt* legebatur, commodum adverſus Ebionem uteretur Tertullianus, quod apertam directamque
eſſe

esse adversus Ebionitarum Hæresim videret ejusmodi Lectionem. Sic ea nos, si fas esset, uteremur aptissime in præsens adversus Socinianos; Quum enim illi nos accusent, quod hebraismos in Christianæ Religionis dogmata consacremus, quod Johannis verba, καὶ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *Et Verbum Caro factum est*, quæ, Ipsorum opinione, nil aliud sunt quam hebraismus, & per eundem denotant: *Et ille qui Verbum Dei hominibus nunciavit, caro erat*, seu, *ex carne natus;* Heinc suommet homines hosce jugularemus gladio, ex Verbis nempe immediate antecedentibus, quibus inveniretur Johannes negasse Christum ex carne esse; hebraismi, seu anomaliæ vi ἐν ἐγεννήθησαν denotantibus *natus est*; iccirco valeret argumentum: Quomodo significare potuit Evangelista illis verbis: *Et Verbum caro factum est*, Illum, qui Verbum nunciavit Dei, ex carne esse, vel ex carne fuisse factum, quum immediate antea dixisset, eundem *non ex hominibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo esse natum?*

Absit ex his tamen, ut me φιλόκαινον existimet prudens Lector, & eum esse, cujus

Ales phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quod non sunt faciles;

Scio hæc a Privatis atque ab Indoctis, uti ego sum, timida secanda manu,

Ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus Nauta secat mare;

Scio in rebus facti haud esse argumentum ex decentia deducendum, nec ex utilitate quæ ex hypothesi procederet; Codex tamen Veronensis, ac trium Patrum aperta testimonia aliqualis deberent esse, ni me decipiam, momenti, ut de Versione veteri ita Textum interpretata suspicemur. Retinendam tamen sentio Vulgatam Lectionem, sumque in sententia Toleti. Placet Irenæi, Tertulliani, Vigilii, Codicis Veronensis Lectio, sed in eisdem ipsam arbitror relinquendam; quod sincere quidem, & fide optima pronuncio; quare nolim arbitreris, *que c'est-là une politesse Theologique des Docteurs Catholiques, qui, par civilitè, temoignent de ceder au torrent des Interpretes, quoi qu'ils soient persuadez qu'ils ont tort.* Quæ exterorum est hominum suspicio. Quis enim sapere parum adeo potest, ut infinitis Versionibus unum MS. præferendum velit, tria Patrum loca infinitis Vetustiorum, Recentiorumque testimoniis? Animadvertere placet imo, Clarissimos Græcorum Interpres juxta Vulgatam legendi methodum illud enarrasse testimonium. Eusebius ad illa Isaiæ verba: *Ecce ego & Pueri mei quos dedit mihi Deus*, hæc habet: Τὰ μὲν οὖν Ἰουδαϊκὰ παιδία σωματικὰ ἐκ ἀνδρὸς καὶ γυναικός. Τὰ δὲ αὐτοῦ τοῦ ταῦτα χρηματίζοντος κυρίου, οὐκ ἐξ αἵματος οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκός, ἀλλ'

Comment. in Isai. Cap. VIII. v. 18.

ἐκ

ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν. *Judaici quidem Pueri corporei ſunt, ex Viro, & Muliere; Pueri vero Domini qui hæc Oracula fundit, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt;* Theodorus autem Moſpueſtenus hunc ipſum Johannis locum vulgata ex ſententia ſuo exponit in Commentario: Θείᾳ δυνάμει διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν ὁμοιότητός τε καὶ συναφείας τὴν γένεσιν δεχόμενοι. Ita legit demum Auctor brevis Interpretationis ſecundum Johannem, quem ſub magni Chryſoſtomi nomine edidit Stewartus, & Tomo I. Antiquarum Caniſii Lectionum in medium protulit Baſnagius. Quæ omnia profecto Vulgatæ Lectionem Interpretationis prioribus etiam Sæculis communiorem fuiſſe certiſſime oſtendunt.

Sunt hæc vero, quæ Johannis ad locum, uti apud veteres legitur illos Patres, illuſtrandum cogitabam. Non dedignabitur aliquis fortaſſe me paratior perituſque magis huic accumbere menſæ; imaginari melius ac ſtatuere; vel ſaltem reprehendere, aut inventis addere. Tenuem eſſe novi Diſputationem hanc meam; ſed nec ignorabit æquus Lector Venuſini effatum:

certis medium & tolerabile rebus
Recte concedi;

quum ſolum

mediocribus eſſe Poetis
Non homines, non Dj, non conceſſere Columnæ.

F I N I S.

Errata *ſic* *Corrigito*

Pag.	*Lin.*		
2.	24.	*τεκνοποιία*	*τεκνοκτονία*
4.	5.	Verturiano	Vertuniano
7.	4.	pæne	pene
34.	6.	exempl	exempla
50.	27.	*Morgalothi*	*Margalothi*
51.	20.	requiretur	requireretur
55.	23.	dicenrur	dicentur
95.	5.	ſi quæ	ſi qua
115.	2.	illa	illam
129.	28.	vendicare	vindicare
140.	1.	*ſleſſimo*	*ſleſſiſſimo*
149.	9.	altero	alteri
180.	10.	calcamus	calleamus
182.	25.	הכסולים	אבסילים
183.	8.	היה	הוה
188.	3.	*veſtras*	*veſtras*

Quæ

Quæ apud Typographum prostant Scriptoris Opera.

Patriarchæ Josephi Religio ab criminationibus Basnagii vindicata Dissertatio. *Neapoli*. MDCCXXXVIII.

Eadem ab Auctore plurimum emendata & aucta. *Venetiis*. Tom. XXII. Collectionis Calogeranæ.

De Inopia Veterum Monumentorum pro Copia Martyrum dignoscenda adversus Doduvellum Dissertatio. *Mediolani*. MDCCXL.

De Traditione Principiorum Legis Naturalis ad Carolum Polinum S. Martini Abbatem Libri III. *Mediolani*. MDCCXLII.

De Diis multarum Gentium Romam evocatis Liber singularis. *Brixiæ*. MDCCXLIII.

De Martyribus sine Sanguine altera adversus Doduvellum Dissertatio. *Mediolani*. MDCCXLIV.

De Forensi Judæorum Buccina Commentarius. *Brixiæ*. MDCCXLV.

Herodiani Infanticidii Vindiciæ. *Brixiæ*. MDCCXLVI.

De Loco Johannis aliter atque habet Vulgata a nonnullis Patribus lecto Dissertatio. *Brixiæ*. MDCCXLVI.

